



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

Pars V. Architecturae Christianae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)



ARCHITECTURÆ
CHRISTIANÆ
PARS V.

PRÆLOQVIUM


Designans utilitates huius tractatus.

ANNVM hunc, quem haud ita pridem, feliciter, uti spero au-
spicati estis, benè Vobis evenire, benè decurrere, bene ad finem
perduci, ac terminari tandē opto, Auditores mihi precari: & si op-
tatione mea, quod volo, consequi possē (sed id nō est potestatis hu-
mane) nullus vobis illuxisset annus aequè faustus ac fortunatus, ac
iste, quem cum bono auspicio inchoastis. Qui ut omnibus vobis, ut
ut res cadat, domi fori, quæ sit perquam felix, dabo singulis ex
thesauro diu abscondito, & intacto, liberalissimè in Strenam
nonnulla, quibus, si quilibet velut Instrumentis utantur, spondeo
non vereor, asseveratione certissima adiuncta, fore, ut sit ad felici-
tatem, quam in hac vita potestis expectare, commodissima. Quo-
nam sunt ista? dicitis ambabus ea amplectemur ulnis. Spondeo
tam fidenter huius anni initio, sive Instrumenta, sive pignora fau-
stis continuanda, in strenam? Equidem spondeo. nec utar ambabu-
bus, ut exprimam & exponam. Sunt Instrumenta illius Artis,
quam me tradere velle professus sum & nominatur ARS ÆDI-
FICATORIA, seu ARCHITECTONICA CHRISTIANA:
quæ simul sunt Suppellex Architecti Christiani, quæ vos de-
natos imitam. O lauta & copiosa suppellex, quavis eburnea,
argentea, aurea, gemmea preciosior!

ITA-

INSTRUMENTA ARCHITECTONICA. 553

ITAQUE arripite & accipite à me, quæ liberaliter offero do-
noque, usui futura ad edificandum in vobis Donum Sapientie,
Virtutum Palatium, Domiciliũ Divinitatis. Accipite, Regulam,
Perpendiculum, Normam, Libellam, Amussim, Cala-
mum, Lineam, Funiculum, Clavos, Malleum, Cico-
niam, Tympanum, Trocleam, Trullam cæmentariam.
Quæ omnia sunt Instrumenta Architectonica, ac Suppellectilem
conficiunt Architecti. Singulorum verò, vel sub iisdem nominibus,
vel sub geminis, fit mentio in litteris Divinis, cum agitur de adifi-
cando. Sed usum apud vos vel exiguum, vel nullum planè habe-
bunt, nisi intelligatis per singulorum descriptiones, quid sint, quid
in Disciplina Sacra, abdita, seu mystica Scientie nostræ, signifi-
cent; denique, ad quid, cum de Domo Sapientie edificando
agitur, adhiberi debeant. Hoc igitur pertractare
incipiamus.



OPVS-

spere au-
ad finem
& si op-
statis lo-
atus, et
vobis, et
is ex ma-
tremiam
sponden-
ad felici-
a. Qua-
ondes-
ora fau-
ambagi-
us Artis,
s Edi-
CIANA:
a vos de-
eburna.
ITA-



OPUSCULUM VII.

INSTRUMENTA

Architectonica Christiana.

Seu

SVPELLEX

Architecti Christiani.



SERMO I.

REGVLA

Architecti Christiani.

ARTICULUS I.

Nexus cum precedentibus. Ingressus in subsequencia.



OST descriptum à nobis Architectum,
dotibus suis, ut Christianus dici possit,
natum, egimus de ejus Ædificio, quod
Domus Sapientiae, circa quam, tanquam
obje-

objectum Artis suæ proprium versatur. Quæ sint autem illius Domus fundamenta, & quomodo ea sint jacienda: quæ Columnæ, & qua ratione sint constituendæ: qui Parietes, & quo pacto sint erigendi: denique, quod ac quale sit Tectum, quod iis est imponendum hætenus differimus. Sed nunquam hæc, & alia ad Domus Sapientiæ integritatem pertinentia secundum artem perficiet quisquam, nisi Instrumentis fuerit instructus idoneis, eorumque usum probè calluerit. Quamobrem de Supellectile Architecti Christiani, & omni instrumentorum genere ad ædificandum necessario, vel accommodato consequenter disputandum est. Et quoniam idem in hæc nostra Disciplinâ est *Architectus & Officiator* quomodo appellat Vitruvius fabros adjuvas Architecti primarii, ut murarios, latomos, cæmentarios, & similes, quibus ille imperat, & facienda præscribit, ita de Supellectile & Instrumentis Architecti differemus, ut operarum etiam communia complectamur.

Nec ordinem quis arguat, & reprehendat: nam & Vitruvius, summus in Architectura profana Magister, ultimo sui operis libro de machinis & instrumentis disputationem instituit, ac se ita tuetur, Imperatorem alloquens: *Visum mihi est, Imperator, non esse alienum, quoniam de ædificiis in prioribus voluminibus exposui, in hoc, qui finitionem summam corporis habet constitutam, quæ sunt principia machinarum ordinata præceptis explicare.*

ARTICVLVS II.

REGVLA

Quod-nam inter Architectonica sit Instrumentum.

Et, An idem, quod Perpendiculum, Norma, Libella, Amussis, Linea, Funiculus lineus.

INTER Instrumenta Architectonica meritò primus locus datur REGVLÆ, quam Plato in Philebo instrumentum

Quarta Pars.

M m

mentum

mentum Architecturæ nominat, quo tum cœmentati in ædificando, tum Architecti in recognoscenda fabrica utuntur. Ejus officium proprium est, ut applicata parietibus, eorum longitudinem dirigat, & æquet. Quod distinguitur ab aliis quibusdam haud dissimilis figuræ instrumentis: licet sæpe confundantur, & unum ponatur pro alio: ac quodlibet dicatur *Regula*, quæ velut genus cetera complectitur. Sed expedit singulorum descriptiones, quæ distinguuntur, tradere.

PERPENDICVLVM est instrumentum, quo plumbum à filo & gnomone pendente rectitudo, aut obliquitas operis perpenditur, seu examinatur. Nam si structura fuerit recta, filum, unde plumbi massula pendet totam descriptam lineam tanget; sin aliqua sit inclinatio, filum à linea discedet. Hinc *Perpendiculare* vocant Geometra, quod ex superiore loco in inferiorem demittitur, eare rectitudine, qua plumbum propendet ex perpendiculo. Unde radios solares perpendiculares habere dicuntur, qui Solem habent rectè super caput imminens. Huius affine instrumentum est

NORMA, ad quam anguli respondentes exiguntur. Sic Plinius lib. xxxvi. cap. 22. Structuram ad normam libellam fieri dicit; & ad perpendiculum respondere oportere: nostrates *Quadram* vocant. Unde, quæ rectè & perfecte dimensa sunt, ad Normam facta dicuntur. Distinguitur ab hoc instrumento apud eruditos architectos, *LIBELLA* (apud Budeum *Nivellà*) quo plana coequantur. Haud multum huic absimile est *AMVSSIS* Filum creta aut rubrica illitum, quo diriguntur saxa aut ligna.

REGVLA, quæ Græcis *κατάβη*, ut notavit S. Isidorus à Gra-

(a) Plin. lib. vii. cap. 56. qui inventorem ibi facit *Dadalius*.

Gratiano relatus in libro decretorum, accipitur genericè pro instrumento, quo rectitudo investigatur, & continet sub se hæctenus nominata: Specificè ad longitudinem refertur. Quare Philander (b) in Vitruvium ita distinguit. *Longitudines ad Regulam & Lineam: altitudines ad Perpendicularum: anguli ad Normam: respondentes exiguntur.* Ex quo etiam observo, quod quæ est Regula, dicatur quoque LINEA, tum apud Vitruvium, tum apud Ciceronem, qui ita illud nomē usurpat lib. tertio ad Quint. (c) fratrem epist. 1. fortasse, ut eruditi quidam censent, quia primùm è lino, quod facile ac longè ducitur, fieri cepit Regula, quæ postea, ut solidior esset, ex ligno, ferro, ære fabricari consuevit, ne usu torqueretur. Immò, in Divinis litteris ita Linea sumitur.

QVOD enim nos ex Latino Interprete legimus Psalm. XVIII. de Apostolis: *In omnem terram exivit sonus eorum;* in Hebræo est קף *Kau.* quod vocabulum redditur ab Aquila *καὶ*, & Lineam significat, Regulam quoque, & huic affinia, normam, amussim, perpendicularum, perimetrum, funiculum mensorium, directorium, filum. Quæ omnia congruunt Apostolis, qui tanquam Architecti cum instrumentis suis, orbem universum peragraverunt. *In omnem terram exivit sonus eorum.* Sono suo, seu prædicatione, ac doctrinâ Apostoli, velut architectonico instrumento, orbem percurrente, exeunte, ut prædixit Jeremias, cap. 31. 39. *Ultra normam mensura,* Ecclesiam, convertendo infideles ædificaverunt, & structuram suam ad Lineam examinarunt. Sic quoque Ezechielis 40. ubi de Angelo dicitur: *Ecce vir, cujus erat species, quasi species æris, & funiculus lineus in manu ejus, & calamus mensura in manu ejus,* per Funiculum lineum, potest designari

M m 2 Re-

(a) Regula *καὶ*. Isid. 1. 6. Orig. cap. 16. Decr. cap. Canon. dist. 3.

(b) Philan. Vitruv. lib. 7. cap. 3. immò ipse ibi Vitruvii.

Regula. Nam instrumentum esse architecturæ Dionysius Areopagita satis indicat, docens in Cœlest. Hierar. cap. 15. vasa quoque (ut loquitur) geometrica atque fabricandi & construendi Angelis attribui, ad munera ipsorum spiritualia significanda. Quale esset instrumentum expriment LXX. qui vertunt, *in manu ejus erat Funiculus cementariorum.* Ita etiam S. Hieronymus, addens, quo & in Zacharia cap. 2. scriptum est, quod *Funiculus habuerit geometricum:* in Zacharia sic legitur: *In manu ejus Funiculus mensorum.* Beatus verò Gregorius proprium explicans usum *Funiculi* vel *Fili Cementariorum*, sic scribit Homil. XIII. in Ezech. *In Funiculo cementarii baris solet, ut cognosci æqualitas, vel rectitudo surgentis parietis debet, ut si lapis intus est, foras eijciatur, si exterius prominet, intus vocetur.* Quem usum in Ecclesia Catholica quotidie instruenda Prædicatoribus Propheta Ezechiel tribuit interpretibus S. Hieronymo ac Gregorio: quos eum in nomen nominat Vilalpandus, & ante ipsum Marcellus Delrio.

(a) Vilalp. Tom. 2. in Ezech. lib. 3. cap. 8. (b) Delr. Tom. 1. p. 724.

ARTICULUS III.

REGVLA EST LEX.

In Architectura sacra Tropologica.

Lex est in Architectura sacra, morali, aut spirituali, quam omnes operationes humanæ. totaque Virtutum structura examinari debet, ac proinde merito, *REGVLA* dicitur. Et sanè, Legem esse Regulam hominum studiosi, seu Architecti Moralis, & multo magis Christiani,

frani, non solùm ex sacris, sed profanis etiam auctori-
 bus probari facile potest. Imprimis, *Regula Architecto-*
nica & Canon idem sunt, ut ex superioribus constat. Lex
 autem Græcis est *Canon*. Certè, Marcianus Iuris-Con-
 sultus l. 2. ff. de legibus, ponit Canonem in definitione
 legis, quæ νόμος Græcis dicitur, sic scribens, Νόμος ἐστὶν
 κανὼν δικαστῶν, καὶ ἀδικῶν: id est, *Regulam justorum & inju-*
storum. Deinde, M. Tullius lib. 1. de Legibus, *Lex*, inquit,
 & *juris & injuriæ Regula*. quod ex Chrysippo sumptum
 putatur. Denique, Seneca lib. iv. de beneficiis cap. 12.
 Legem describens, est, ait, *justi & injusti Regula*. Idem ad-
 firmant in Religione Christiana Magistri. S. Gregorius
 Nyssenus Orat. de baptismo, agens de Lege Civili, est,
 inquit, *certa Regula vitæ hominum*. S. Thomas disputans de
 Lege æterna sic scribit: (a) *Lex æterna est Regula humano-*
rum actuum & voluntatis. (b) Apud Cassiodorum, Arha-
 larius Rex gloriatur, Legum suarum usualem Regulam
 ubique servari. In eadem significatione usurpatur no-
 men, *Canon*, quod Latinis etiam familiare est pro Regu-
 la, & ab Ecclesiasticis Scriptoribus sumitur communi-
 ter, pro Lege sacra & Ecclesiastica, quatenus distingui-
 tur contra civilem. Antiquus auctor, cujus nomen cele-
 bre fuit ante quingentos & plures annos adhibuit jam
 tunc illam distinctionem. Fuit is Goffredus Abbas, quæ
 lib. tertio epistolarum in 39. ita habet: *Quod seculi Leges*
nulla ratione fieri permittunt, & sacri Canones omnino, ne fiat,
interdicunt, est duellum. Sic Leges Ecclesiasticæ, quos Gra-
 tianus, alii que deinde collegerunt, *Canones* ubique nun-
 cupantur. Unde *Ius Canonicum*. Apud Græcos, Photius
 opus suum concinnatum ex Legibus, Canonibusque

Mm 3 Nomo-

(a) S. Thom. 1. 2. q. 19. art. 4. (b) Cassiod. lib. ix. variar. epist. 18.
 (c) Goffred. Ab. lib. 3. epist. 39. (d) Jacobus Sirmundus in Notis.
 (e) Gratianus: Isidor. lib. de vir. illust. cap. 27.

Nemocanonem inscripsit : sicut apud Latinos Fulgentius, benè credendi Canonem, vocavit Regulam veræ fidei, scribens de fide ad Petrum. Denique apud Religiosos usitatum est, ut leges instituti sui & Constitutiones de modo religiosè vivendi, vocentur Canones vel Regulas: ut ostendit Iulius Nigrorius, Commentarius in Regulas Communes Societatis. Haud malè igitur nobis illud positum videri debet quod Architecti Christiani Regula sit Lex. Id autem fiet manifestius, si Regulæ architectonicæ proprietates & munus Legis commodaverimus.

(a) S. Fulgent, lib. de fide ad Petr.

ARTICULUS IV.

REGULA VT LEX

Recta sic oportet.

PRIMA Regulæ, qua Architectus utitur, proprietas est *Rectitudo*, quæ tam illi est propria, ut nomen accipit regula ex eo, quod sit recta, sic dicta quasi *Rectitudo* & impedimentum non habens, ut scribit Isidorus in Originibus. Et sanè, rectum oportet esse instrumentum quod distortorum parietum ceterarumque rerum longitudinibus tribuit rectitudinem. Eodem ducit origo natio, quæ est apud Bedam (b) & Damianum, (c) dicta *Regulam* à regendo, id est, dirigendo, & corrigendo, quia quod distortum prauumque corrigit, & antequam sit distortum, dirigit. Hoc sensu sumitur Regula in

(a) Isidor. lib. 19. Orig. cap. 18. (b) Beda Comm. in Boët. de Trinitate Tom. 8. (c) Dam. epist. 114. ad Marin. (d) Isid. lib. 6. ca. 16.

Codice, dum agitur de architecturâ Templi Salomonici, quæ fuit Domus Sapientia. lib. tertio Regum cap. vi. *Operuit omnia laminis aureis opere quadro ad regulam.*

REGVLA Architecti effectrix est rectitudinis per applicationem sui. Itaque ipsa imprimis sit recta oportet. *Propter quod unumquodque est tale, illud maxime est tale*, inquit Philosophus. Unde Seneca Epist. LXXI. comparans Virtutem cum Regula, sensu Stoico, secundum extremum rigorem, scribit, nec remitti, nec intendi posse: non magis, quàm Regulam, quàm rectum probari solet. *Quam, inquit, si flectas, quicquid ex illa mutaveris, injuria est re-cti. Idem de Virtute dicemus. Hæc recta est, flexuram non recipit: rigida est, amplius intendi nõ potest. Hæc de rebus omnibus judicat: de hac nulla.* Simili ferè modo differit, tũ de Virtute, tum de Regula S. Gregorius Nazianzenus Orat. 26. num. 7. & docet corrumpi Regulam, si quid vel addatur, vel subtrahatur, cùm neutrum sine detrimento rectitudinis contingat. Sic quoque S. Chryostomus. *hom. 12. in epist. ad Ephes. Regula, inquit, nec addi sibi quicquam, nec demi sustinet: alioquin hoc ipso, quod regula est, amittit.* Nam regere vel dirigere amplius non potest, fallit artificem, depravat fabricam, & est causa ruinæ, postquam extractum fuerit, ædificio, ut monet Isidorus, loco superius indicato. Complectitur hæc omnia versiculis libro IV. Lucretius Philosophus & Poëta, Architecto morali frequenter repetendis.

*Denique, ut in fabrica si prava est Regula prima,
Norma quæ si fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua si parte claudicat hilum,
Omnia mendose fieri, atque obstipa necessum est.
Prava, cubantia, prona, supina, atque absona tecta.
Iam ruere, & quoniam videantur velle ruant quæ
Prodita judiciis fallacibus omnia primis.*

CETERVM, Rectitudo non magis Regulæ conuenit quàm Legi: Lex enim omnis, si quidem Lex nominatim mereatur, recta est. Considera Legem Æternam, & Naturalem: Divinam & Humanam, in singulis inuenies infallibilem, inflexibilemque rectitudinem. Lex Æterna dicitur, vel quævis Regula practica, ac æternæ veritatis, ad quam naturaliter obligamur. Ut, DEUM esse colendum: parentes honorandos: nemini faciendam injuriam. Sunt enim istæ Regulæ omninò immutabiles, ac proinde æternæ. Vel vocatur Lex æterna Mentis diuini actus quidam, quo concipit & iudicat Regulas illas seruandas esse à creatura, cum voluntate eam obligandi. Lex Naturalis est participatio quædam, ut loquitur S. Thomas, 1. 2. q. 91. art. 2. *Legis æternæ in creatura rationali.* Si quidem Lex æterna extendit se ad omnes creaturas, tam rationales, quàm irrationales, sicut etiam Providentia diuina. At Lex naturalis ad solam creaturam rationalem. Et, si hominem spectes, est actus mentis humanæ, quæ nos naturali instinctu iudicamus Regulam æternam nobis præscriptam obseruari debere. Continet autem Lex naturalis alias plures Regulas, ad quas dirigendæ sunt actiones: duas verò potissimum, & maximè generales: *Bonum esse prosequendum: Malum fugiendum.* In his continetur illæ aliæ: DEUM colendum: parentes honorandos: vitam propriam conservandam: iustitiam & amicitiam cum proximo colendam. Item, DEUM non blasphemandum: parentes non contemnendos: propriam vitam non prodigendam: non metuendum: non furandum: homicidium, adulterium aliaque peccata non admittenda. Vno verbo, Alteri non faciendum, quod tibi non vis fieri. Denique, eodem spectant omnia præcepta Decalogi, & iis annexa.

PRÆTER hæc dictas Leges, est alia, quæ appellatur

latur POSITIVA: & est, aut DIVINA aut HUMANA. Divina, vel Instrumenti Veteris, quæ vocatur Mosaica; vel Novi Testamenti, quæ Evangelica; aut *Lex Vetus & Nova*. Vetus illa cum habuerit præcepta Moralia, Ceremonialia, & Judicialia; non est amplius necessaria Regula Architecturæ Christianæ, nisi quoad Moralia, quæ Decalogo continentur, & sunt quoad substantiam, Iuris naturalis, Lex Evangelica à Legislatore Christo lata cōplectitur Præcepta moralia, Sacramentalia, Fidei. Ad eam autem tenentur omnes Christiani structuram suam accommodare, & ædificium virtutum erigere.

LEX Humana vel est *Ecclesiastica* constituta à Prælati Ecclesiæ, quibus est potestas condendi Leges; vel *Politica* vel *Civilis*. Utriusque generis, aliæ sunt Communes pro omnibus, ut plerisque: aliæ uni, vel alteri Provinciæ, Reipublicæ, Communitati propriæ. Immo, nulla est Societas, nullum contubernium benè constitutum, nullus hominum cætus, qui leges suas non habeat. Quælibet autem est Regula Architecti Christiani, ac proinde quælibet recta: nam hæc est prima & potissima Regula architectonicæ proprietatis. De rectitudine quidem Legis æternæ ac Divinæ ambigere esset impium. Lex autem Humana omnis, si quidem vera Lex sit, tum ad rectam Rationem, tanquam ad Regulam conficitur, tum ad Legem naturalem ac divinam directa conformataque est, unde derivatur, ut ex D. Augustin. (a) cū S. Thoma (b) docent Scholastici. Neque affectus ac perturbationes, quæ depravant, & distorquent animum hominis in effectione legis locum habent, ut ostendit Aristoteles: (c) quoniam Lex à recta Ratione procedit, & conficitur de rebus futuris, atque universalibus, quæ non commovent affectus, quemadmodum res singulares ac

* M m 5 præ-

(a) lib. de lib. arb. cap. 5. 6 (b) 1. 2. q. 93. art. 3. (c) lib. 1. Reth. cap. 2.

præsentes. Quare ab eodem Philosopho dicta est Lex,
Mens absque appetitu. Et à Marco Tullio sæpe definitur,
Recta ratio à Numine Deorum tracta, imperans honesta, & pro-
hibens contraria.

(a) Cic. lib. 1. de Leg. & Philip. 2.

A R T I C V L V S IV.

REGVLA ARCHITECTONICA

*Rectum & Distortum ostendit: haud secus Lex Bonum &
 Malum demonstrat.*

REGVLÆ Architectonicæ proprietas altera, prio-
 rem consequens, est, ut per eam in rebus aliis, qui-
 bus admoveretur, rectitudo, aut pravitas. Rectum, & Re-
 gula, quæ rectissima esse debet, ut nomen suum tueatur,
 est iudex sui & obliqui. Quod docuit Aristoteles, & as-
 seruit S. Hieronymus: ille lib. 1. de anima, hic in cap. vi.
 ad Galatas. Et experitur quotidie Architectus, cui, si pa-
 rietis recto planoque Regulam suam applicet, æqualitas
 ejus innotescit: si distorto, prono, gibbero admoveatur,
 gibbus, ac pravitas deprehenditur & apparet. Idem fi-
 cit Lex in moralibus; nam est *justorum & injustorum dis-*
cretio: ut illâ describit M. Tullius. Et sanè, ducit Lex omnia
 in cognitionem recti, vel distorti, quod in ipsorum et
 operationibus, dictis factisque, quibus constat moralis
 fabrica. Ac primò quidem, ipse Architectus, aut operari-
 rius quilibet per Legem, ut per Regulam, agnoscit stru-
 cturæ suæ rectitudinem aut contrà depravationem. Si
 enim apud se constituerit *Ædificium spirituale in ani-*
ma erigere, & operi manum adhibuerit, jacturaque
funda-

fundamento Timoris Domini, ac Humilitatis, & Fidei, parietes Spei erexerit; tum verò, Legem divinam & humanam ad se spectantem, suis factis dictis, cogitatis attentâ consideratione applicet, deprehēdet illicò, rectène, an secus fabrica assurrexerit: clarius, benè an malè sit operatus: profecerit-ne, an defecerit in virtutum studio, in honestate morum, in cultu pietatis, in vitæ totius moderatione.

Huc facit dogma Pauli Apostoli ad Romanos tertio, ubi, *Per Legem*, inquit, *cognitio peccati*. Loquitur de Legge Mosaica, quæ quatenus complectebatur moralem, judicialem & ceremonialem, induxit hominem in cognitionem peccati. Nam pars moralis, quæ continet præcepta Decalogi, cognitionem perfectam attulit eorum, quæ cognoscebantur antea lumine naturali non ita clarè. Pars ceremonialis, & judicialis manifestum fecerunt peccatum, quoniam aliqua præcipiendo, & alia prohibendo, effecerunt, ut essent peccata, quæ antequam Lex ferretur, peccata non erant: hinc notitia peccati. Longior est de hac ipsa re sermo Apostoli ad Romanos VII. ubi ad particularia descendit: *Peccatum non cognovi nisi per Legem: non concupiscentiam nisi Lex diceret: Non concupisces*. Hoc est, Lex Moïsi peccatum non est, sed index, iudex, & accusatrix peccati: quia peccati cognitionem induxit. Exempli causa: ante legem de non concupiscendo latam; homo appetitiones internas admittebat contra proximum, ignorans esse peccata; sed accedente lege, *Non concupisces*, intellexit homo, ne interne quidem licere concupiscere rem alienam. Ita doctissimi Interpretes, Tolerus, (a) Pererius, (b) Cornelius, (c)

POR-

(a) Tol. in cap. 7. ad Rom. Annot. 9. & 10. (b) Per diff. 9. in cap. 3. & diff. 7. in cap. 7. (c) Ad Rom. 3. & 7.

PORRO, ut Architecto ipsi, ita omnibus aliis Fabricam intuentibus, Lex, velut Regula, notitiam recti, distortivè ingenerat, ut illam, vel laudent, vel vituperent, & vel imitatione dignam, vel ludibrio judicent. Sed præ his, usui est Lex, velut Regula, Superioribus, ad cognoscendam rectitudinem structuræ in subditis, ut si distorta sint aliqua, corrigere ea studeant. Ad discernenda recta & obliqua tribus esse opus, dicit Sextus Empiricus: (a) nimirum, Artifice, Regula, & Applicatione regulæ. Idem contingit in gubernatione hominum. In ea Artificis, seu Architecti loco, est Consul, prætor, censor: in Ecclesia, Episcopus, Decanus, Parochus: in Ordine religioso Abbas, Præpositus, Rector, Generalis, Provincialis, Guardianus: Regulæ vicem præstat Lex, Ordinatio, Constitutio: Applicationem facit Superior, quando comparat Titium, aut Sempronium cum Lege, Ex ea deprehendit, quomodo Legem servaverit, id est, an prævera sit rectus; nam rectitudo hominis probi est observatio Legis.

(a) *Emp. lib. contra Leg. Cap. de Iudica. veri.*

ARTICVLVS V.

REGVLA ARCHITECTONICA

Corriguntur distorta: Lege emendantur vitiosa.

NOTITIA mali nisi dirigatur ad ejus extirpationem, curiositatis est, sæpe vitiosæ. Quid iuvat scire detortum esse parietem, nisi hac utaris notitia ad corrigendum errorem? Itaq; hoc est, siue proprietatis terarum, siue officium præcipuum Regulæ, ut per illam corrigantur

tur distorta emendetur pravitas, adæquentur omnia. Trifariam autem utitur ad hunc finem Architectus Regula. Primò quidem, si ædificando, illam adhibeat: nam appositione Regulæ rectitudo inducitur, antevertendo depravationem. Idem facit Ædificator Spiritualis, qui quandocumque est dicendum aut faciendum quidpiam, immò & cogitandum, ponit sibi ob oculos mentis leges omnes ad quas obligatur, nec quicquam cogitat, dicit, aut operatur, quod non cum legibus consideratione præmissa, vel simultanea componat. Deinde, si fortasse minus attentus, collationem illam operis cum Regula neglexerit, indeque orta sit pravitas, quam primùm id animadvertit, arripit Regulam, & illam applicat, ut quod jam depravatum est, corrigatur. Simili modo Christianus Architectus, si per desidiam, aut incogitantiam, vel fragilitatem humanam operationes minus rectas ediderit, & cogitaverit multa, dixeritque Legi divinæ & humanæ minus consentanea: hæc cum Legibus suo tempore confert accuratè, & observata pravitate, per *Examèn conscientiæ* serium, dolore de præteritis, & firmo in futurum proposito emendare conatur. Denique, quamvis Regula ipsa non adhibeatur, si tamen illi substituatur Instrumentum omninò simile, rectitudo induci potest, aut pravitas tolli. Sic *Linea* per rubricatum funiculum inducta in ligno aut marmore, præstare potest, quod applicata Regula. Simili modo scriptor, adjutus Regula superposita, stylo sulcum facit in charta, vel plumbo lineolam format, ut rectè scribat. Sunt in anima, veluti lineæ quædam rectæ, aut sulci, habituales promptitudines relictæ ab actibus frequentatis, quibus si utatur moralis opifex, vice regularum, & iis operationes suas dirigat, utilitate regulæ non carebit.

CETERVM. Architectonica ipsa Regula usui non
crit

erit in qualibet ædificatione, nisi sit *longissima*, qualis est *Amussu*, *Linea*, aut *Funiculus mensorum*, ut ad omnes partes ædificii extendi possit & cuilibet accommodari. Fallet etiam *Regula*, nisi sit *Inflexibilis*: quare curari solet ut conficiatur ex materia solida, qualis ferrum est, aut æs, non plumbum, ex qua cum esset *Regula Lesbica* ab ipsa parietum asperitate flectebatur, nec inducebat rectitudinem, sed suam perdebat. Hinc proverbium vetus, cuius mentio est apud Aristotelem, *lib. 3. Eth. cap. 10. Regula Lesbica*, quo designabatur fallax, quia flexilis: quæ fortasse erat brevior quoque, quàm usus poscebat. Contrarias qualitates habet *Regula Architecti Christiani*, *Lex Divina & Humana*: quæ imprimis tam est extensa, ut ad omnia dictorum, factorum, cogitatum genera pertingit: deinde est ære solidior, ac planè inflexibilis, quippe, ipsa divina vel humana Ratio, aut utriusque præscriptum. Quod quamvis extrema tentent impii, non torquebitur pravis affectibus, non flectetur violentis interpretationibus, non incurvabitur manifestis aut occultis depravationibus.

AVDIVISTIS hodie, quomodo tanquam *Architecti Christiani*, possitis rectè ædificare, & esse *Adolescentes*, ac *Viri bonæ ædificationis*, quod à vobis exigit *Architectus supremus*: nimirum, adhibendo ad omnia dicta, facta, cogitata; ad omnem operationem internam & externam, instrumentum architectonicum communissimum, quod est *Regula*. *Regulam Architecti Christiani* esse *Legem*, *Æternam*, *Naturalem*: *Divinam*, *Humanam*. *Communem & Propriam*. Ad eam *Regulam* quicumque opus suum exigit, non metuet casum suæ fabricæ, quippe ab omni parte firmæ. Idem, ut clarè loquat, ac simpliciter, nulli erit scandalo: omnes ædificabit. Qui sequutus semper fuerit hanc *Regulã*, & ejus directione

ædi-

ædificarit, sit benedictio super illum, & vos omnes, Architecti Omnipotentis, ac per Sapientiam suam cuncta regulantis, DEI Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. AMEN.



SERMO II.

CHRISTVS SALVATOR

Semper & ubique moraliter benè ædificans secundum Regulam: signatè in Nuptiis.

Nuptia factæ sunt in Cana Galilææ: & erat Mater IESV ibi. Vocatus est autem & IESVS, & Discipuli eius ad Nuptias. Ioannis II.



CHRISTUS IESUS, quâ DEUS, non cœpit ædificare, sed ab omni æternitate, quæ nec principium habet, nec finem, ædificavit, Architectus minimè ociosus, in arcana illa arcanorum fecundissimo fundo, quem Electionis & Prædestinationis Sâctorum dicimus. Idem, quâ Homo, cœpit ædificare, haud tardius, quàm vivere: nec contummavit citius, quàm desit vivere: siquidem tunc operi ultimam manum imposuit, cum dixit: *Consummatum est, & tradidit spiritum*, Ioannis XIX. Ædificavit in utero Matris, in quo cœpit vivere, Angelos, qui quem cœli cœlorum capere non poterant, mirabantur in palmarum corpusculo, si tam fuit magnum, delitescere, & in Virginis contineri gremio. Mox utero egressus, tauquam à Thalmo, ædificavit pastores pecudum in præfepio,

pio, patientia, suavitate, & infantilibus blanditiis, cum risu matrem & amplexu agnoscere videretur. In stabulo ædificavit Magos adoratores paupertate voluntaria, & humanitatis indiciis. In itinere versus Ægyptū ædificavit viatores occurrentes, arridendo, ut contemplari soleo. In Ægypti exilio ædificavit indigenas tolerantia. In reditu ex Ægypto ædificavit comites affabilitate, & ad omnia promptitudine. Puer duodecennis ædificavit Doctores in templo modestia, ac demissione, quamvis proferret interrogationes subtilissimas, & daret responsiones prudentissimas. Domum reversus, ædificavit parentes obedientiâ. *Subditus illis.* Lucæ 2. DEUS hominibus. Cùm adolefceret, ædificavit domesticos laborandi assiduitate: *in laboribus à juventute:* adjuvando Josephū fabrum, sive lignarium, sive ferrarium, ut quorundam est opinatio. (a) Quæ si vera, quantæ ædificationis erat, Fabricatorē cœli & terræ, qui, quæ dixerat olim, omnia fecerat, & dicendo fecerat, nunc malleo pulsare ferrum in incude, ut

nudus membra Pyragmon,

Brontesquæ, & Steropes, Æmonidesquæ solent.

Et non statim efformare, sed post ictuum frequentissimam iterationem, nunc aratrum conficere, nunc malleum, nunc anlas ferreas, nunc uncinatum forcipem, nunc clavos multiplices. Et, si quidem Christus fuit faber ferrarius, piè meditari quis posset, quod ipse cum Josepho & malleos & clavos pararit, quibus ejus deinde manus ac pedes transfixi fuerunt: immò, & Lanceam, quâ veluti clave aureâ, pectus, Divinitatis domiciliū, fuit apertum. Ædificabat prætereà Christus omni generis homines, quibuscum agebat: Phariseos, Scribas, Publicanos, peccatores, meretrices, Latrones. Ædificabat in omni loco, in quo agebat: domi, foris: in synagoga,

in

(a) *Legendus Artifex Evangelicus Sandæi, Ver. Faber.*

in templo, in foro, in itinere, in terra, in mari. Ædificabat in prætorio Pilatum, dicendo: in regia Herodem tacendo: in Cruce Latronem, consolando. Ædificabat quolibet tempore, nullo dierum, nullo horarum nullo occupationum discrimine. Ædificabat interdum discurrendo per pagos, & concionando: nocte consistendo in monte, & orando: mane primus domi è strato, vel asserere surgendo: vesperi ultimus incumbendo. O infantem, puerum, adolescentem, juvenem, virum magnæ ædificationis! Vocat Isaias Propheta cap. LIII. Salvatorem nostrum *Virum dolorum*, cur nos non dicamus, *Virum ædificationum!*

SED fortasse nihil est ædificationis majoris, quàm quod invitatus ad nuptias in Cana Galilææ, in iis ædificet, præter Sponsam & Sponsam, invitatos omnes. Quod difficillimum est, & rarissimum. In Nuptiis, ut quis ædificet, aut ædificetur, ferè portenti est simile: ut quis destruat, sive pervertatur, maximè Adolescens, tam est usitatum, quàm quæ fiunt quotidie: Quare nunquam ego sim auctor, ut Adolescens, præsertim quàm diu litteris dat operam, licet invitatus, rogatus, attractus, eat ad nuptias. Vestigia me terrent, & exempla amplius, quàm sexcenta adolescentum, qui iverunt ad nuptias, boni, sobrii, casti, Angelici; redierunt autem mali, intemperantes, lascivi, luxuriosi, Satanici: neque unquam fuit modus deinde illos reducendi ad statum pristinum: quare semper manserunt, quales redierunt ex nuptiis, Diabolici. Itaque, si vultis vobis consultum, & per vos stet, nolite in illa ætate interesse nuptiis. Felices autem fuere nuptiales illi, qui ædificati discesserunt à Christo. Cujus tam efficax fuit ædificatio, ut Sponsus castitatem persvaserit. Nam ut multorum est sententia, Sponsus in nuptiis Canæ fuit Ioannes cognatus Christi,

Quinta Pars.

N n

qui

qui visa Domini modestia, sobrietate, moderatione, & fortasse audiens differentem de castitate, deque delictis vitæ castæ, & alteritis respondente illi corona, relicta sua Sponsa, quam consensisse reor, & castitatem deinceps coluisse, sequutus est Christum: ideoque peculiariter ab illo fuit dilectus, & ad Evangelistæ decus summum euectus. Vtinam & nos, Christi Domini exemplum sequuti, semper & ubique illos quibuscum agimus, ædificemus. Quod facillimum erit, si illud ad omnem actionem dictionemque nostram adhibeamus instrumentum architectonicum, quo Salvatorem ubique ac semper usum scimus: nimirum Regulam, quæ est Lex Divina ac Humana, secundum quam si cum proximis nostris egerimus, ædificati à nobis recedent, & videntes opera bona glorificabunt Patrem nostrum qui in cœlis est.



S E R M O III.

P E R P E N D I C V L V M

Architecti Christiani

E X E M P L V M C H R I S T I.

REGVLÆ adjungunt *Architecti* P E R P E N D I C V L V M, quod est species quedam Regula, aliquatenus ab illâ diversum, juxta descriptionem superius traditam. Eo utitur Architectus ad rectitudinem vel obliquitatem structuræ deprehendendam, & commendandam. Istiusmodi Instrumento opus habere Architectum Christianum, non est sanè dubium. Cùm enim parietes illius Fabrice,

brica, quam erigit, sint virtutes, necesse est earum rectitudinem diligenter explorari: nisi enim recte fuerunt, & ad Perpendiculum, non potest firmiter Aedificium consistere. Huius rei gratia duo prae-mittenda sunt.

ARTICULUS I.

RECTITVDO

Virtutum verarum.

VIRTUS omnis si vera, est Recta, tum forma-
liter in se spectata, tum causaliter, efficiendo
rectitudinem in subiecto, cui inhæret. Quod
liquet imprimis ex Sacra Scriptura, in quâ
virtute præditi homines dicuntur *Recti*, & *Recti cordes*:
nempe, ob virtutem, quæ recta est, ac rectos facit. Psal-
mo cxi. *Generatio Rectorum benedicetur.* Ubi siue sumatur
generatio pro seculo & ætate, ut in illo, secundum ali-
quos, *Generatione ejus quis enarrabit?* siue pro sobole & pro-
genie, ut communis est interpretatio, denotans filios &
nepotes ex rectis parentibus ortos, si genitores imiten-
tur, *Recti* significant probos, virtute ornatos, justos; qua-
re Hieronymus vertit: *Generatio Iustorum.* Sed reuera, no-
men Hebraicum, ut notat Lorinus, propriè significat
rectos: quos postea *Rectos corde* vocat. In eum Psalmum S.
Augustinus: *Quam bonus Israël Deus iis qui recto sunt corde.*
Rectum autem cor est, non resistere patri emendenti, & credere
pollicenti: non eorum, quibus commoventur pedes. & effunduntur
gressus, atque labuntur. Psalmo vii. eadem utens phrasi di-
uinitus Psalter suauissimè canit ad consolationem ja-

N n 2

istorum

(a) Tesciarim ישרים

storum *Salvos facit Rectos corde*. Qui non deflectunt à rectitudine virtutis, inquit S. Basilius: idemque perpendens, quod immediatè præcesserat. *Consumetur nequitia peccatorum, & diriges justum: Rectus*, inquit, *Iustus nominatur, & rectum cor, quod benè facit*. Quid igitur vult, bis orando Prophetæ? Orat enim, ut qui jam *Rectus est dirigatur*. Nihil, dicit aliquis, obliquum, aut obtortum, seu transversum in recto est. Sed profectò necessaria hac pro Iusto petitio est, ut *rectum mentis ejus propositum, per directionem divinam, & manuuctionem Domini regatur: ne per fragilitatem quandoque, veluti à Canone (regula, perpendiculo) veritatis nutando declinet, neque à veritatis amico perversis ledatur dogmatis*.

SIMILI modò in Psal. VII. S. Augustinus, disputans quomodo saluus fiat Iustus, qui est rectus & sanus? respondet, id non contingere per justificationem à peccato, quasi transferatur à morbo ad sanitatem, sed per conservationem in justitiâ, quomodo medicus, non solum satis facit officio sanando ægrotum, sed etiam conservando sanum. Iterum S. Basilius *Rectus est corde*, ait, qui animum retinet neutrobique vergentem, sic ut neque excedat, neque desit sibi, sed in medio virtutis consistat. Quamobrem è contrario Scriptura illos homines vocat obliquos & obtortos, qui à virtutis medio ad excessum, aut defectum tendunt. Quemadmodum obliqua fit linea, si nunc in curvum, nunc in convexum ejus rectitudo infringatur, seu obliquetur. Sic item cor obliquum est, quod nunc per superbiam arrogantiamque effertur; nunc per ærumnas, calamitates, & dolores deijcitur.

CUM superioribus, de bono & justo, quâ recto, convenit illud Cantorum I. *Recti diligunt Te*: id est, probi, justi, virtute præditi, qui recti sunt corde diligunt Te, ò Sponse cœlestis, ut ex S. Gregorio, Iusto Orgelitano, &

Apo-

Aponio sumitur. Idem indicat Philo Carpathius Cantorum Interpres Græcus, qui describit rectitudinem cordis, quod contineat se ab omni specie delictorum: & rectum corde, qui conscientiam suam DEI Legi conformat, ejusque mandata omnia intento corde perficit. LXX. Interpretes vertunt sententiam illam per abstractū: *Æquitas dilexit Te*, Arabicus, *Rectitudo dilexit Te*: Hebraicus admittit plurale, *Rectitudines dilexerunt Te*: id est, ut interpretantur aliqui, omnes virtutes, omnes virtutis studiosi, probi omnes. Addit Origenes: dicitur Rectitudo diligere Sponsum: quia hæc rectitudo, quæ est custodia mandatorum DEI, præparat cor ad amandum DEUM, expellit iniquitatem, qua pulsa advenit Caritas, in qua summa est rectitudinis & perfectionis. Monet deinde idem Adamantius, ut cogitet quilibet virtutis & perfectionis amans, *Æquiritatem esse Regulam* quandam nempe architectonicam, & illam adhibeat, ac super inducat, ut si quid in anima curuum, si quid tortuosum, ad hujus Regulæ lineam refecetur. Sic erit revera Rectus: ad quod epitheton duo requiruntur: *Vita*, sive actio, & *Intentio*: ut vita & actio in se sit recta, scilicet, honesta & justa: tum, ut quæcunque fiunt, recta intentione fiant. Quare S. Thomas, effatum illud, *Recti diligunt Te*, exponens, per *Rectos* ad significari adfirmat, qui rectam habent intentionem: quales sunt, qui uni DEO placere student, eumque sibi vitæ & operationum omnium finem statuunt.

SED magis universè, *Recti*, sunt virtute præditi, & rectitudo virtus omnis: nam nulla est, quæ non sit rectitudo quædam. Unde definitur ab Augustino: *Bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nemo malè utitur, quam DEUS in homine sine homine operatur*. Rectitudinem autem illam putat Guilielmus Parisiensis lib. de virtut. cap. 12. in eo

Nn 3 confi-

consistere, quod versetur inter extrema duo vitiosa: scilicet, in medio est virtus. Porro, peculiari quodam modo nominantur *Recti corde* interdum, qui nunquam deflexerunt à rectitudine per actum peccati; vel exciderunt à gratiâ quam semel acceperunt. Quod insinuari existimant quidam abdito intellectu in versiculo illo psalmi xxxi. *Lætamini in Domino & exultate Iusti, & gloriamini omnes Recti corde.* Quasi invitentur quidem ad lætandum & exultandum in Domino omnes iusti; sed ad gloriantium, solummodo *Recti corde*: quod plus est; quemadmodum & majus illud est, quàm à peccato converti. Eiusdem subtilitatis est additamentum istud: *Justificatum à peccatis* quamvis rectus fiat, aptius correctum dici, quàm *Rectum*.

LEGENDI S. Bernardus *Sermone xxiv. in Cantica, ubi ex recta corporis forma mentem quoque & voluntatem rectam esse debere argumentatur.* Julius Mazarinus in *Psalmum Miserere, discursu 68 & 69.* Joannes Lorinus in *caput vii. Ecclesiasta, & cap. secundum Actuum, ac Psalm. vii.* Cornelius à Lapide *Cantic. i. 4.*

ARTICULUS II.

PRAVITAS

Virtutum falsarum.

ITA appello Virtutes apparentes tantùm; fucatas, fictas, simulatasque. Constat enim multos virtutem simulare, quibus non est nisi falsa virtus; verum vitium. Religionem & obedientiam simulabat Saul coram populo & Samuele. Absolon humanitatem, caritatem, zelum justitiæ erga Israëlitas, qui ad parentis sui tribunal prope-

properabant. Nec David, vir alioqui secundum cor DEI semper fuit insons ab hac pravitate. Nonne ementita ejus fuit benevolentia erga Vriam Ethæum, cui infidiabatur? Innocentiam & divinæ gloriæ, studium simulabat vafre arrogans Pharifæus, Publicani humilis contemptor, & in meliorem se contumeliosus. Judas proditor pietatem præseferens fingebat, impius in cute. Simon Magus fidem etiam, à quâ erat alienissimus ostentabat, lucro inhiâs. Denique, Dæmon ipse cùm se transfiguratur in Angelum lucis, simulat virtutem. Nec Hypocritis est aliud, quam flagitii larva, virtutis fucus.

ALII à veris solidisque virtutibus sunt commendabiles. Ut fuit MARIA Christi Mater, ejus parentes Joachim & Anna: Zacharias & Elizabeth cum sua prole Ioanne Baptista, & tot alii in Evangelii nominati & laudati. Præcæteris ille verè Israëlita Nathanaël, in quo non fuit dolus Veritatis ipsiusmet testimonio. Quare erat summoperè sollicitus Apostolus ut primitivæ illius, cui præerat Ecclesiæ constitutus Doctor Gentium, consuleret, doceretque veris, non fucatis virtutibus excolendum animum. Quare Ephesios seriò hortabatur ad *Sanctitatem veritatis*, id est, ad veram Sanctitatem. Ad *suc-cingendos lumbos in veritate*: id est, ad coercendos in vera castitate. Epistola ad Corinthios *falsos fratres*, hoc est, simulatores, corripit, exagitat, proscrit, accusat, vitari mandat. Timotheum suum instituit, ut religionem & caritatem funderet in fide non ficta, & congratulatur ei, quod talem fidem habeat. *Quæ, inquit, habitavit primum in avia tua Loide, & matre tua Ennice: certus sum autem, quod & in te.* O præclarum virtutis sinceræ testimoniū! Quod non omnibus dari poterat: quippe, cùm jam tunc reperirentur etiã inter Evangelii præcones, qui ex occasione,

N n 4 quæ-

(a) Ephes. IV. (b) Ephes. VI. (c) 2. ad Corin. II. (d) 2. ad Timoth. I.

quærendo, quæ sua sunt, Christum annunciabant: licet non deessent multi, qui idem faciebant ex veritate, & studio divinæ gloriæ amplificandæ, & religionis Christianæ propagandæ. *Quidam, inquit Paulus, scribit ad Philippenses cap. I. ex contentione Christum annuntiant, non sincere. Et, quidam propter invidiam & contentionem: quidam autem propter bonam voluntatem Christum prædicant.*

ARTICULUS III.

EXEMPLO CHRISTI

Tanquam Perpendiculo, examinatur, & emendatur pravitas Virtutum falsarum.

CVM, ut hætenus est demonstratum, Virtutes aliæ sint veræ, solidæ, sinceræ; aliæ autem falsæ, inanes, & fucatæ, necessarium est, ut Ædificium spirituale ex Virtutibus erectum firmiter consistat, esse ad manum Architecti Christiani instrumentum aliquod, quod virtutes, per sui applicationem discernat: illud autem in Architectonica Christiana est PERPENDICVLVM. Neque hic utar longâ circuitione: nam expeditissimè & perfectissimè secernit à falsa uirtutem veram, veræque actionem examinat, & obliquitatem proclinationemque omnem deprehendit. EXEMPLUM Christi Domini. Vita Salvatoris & Legislatoris nostri; ejus dicta & facta; ejus in solitudine oratio, in hominum congressu alloquutio; ejus labor quies, Vigilia; ejus cohortatio, reprehensio, doctrina; ejus silentium, ambulatio, sessio; ejusque omnis conversatio est *Perpendiculū* Architecti Christiani; quod si applicet virtutibus à se exercendis, & in lucem editis, facile quid rectum, quidque distortum; quid in operationibus

tionibus suis æquale, aut inæquale agnosceret, & emendare poterit. Siquidem Christus Salvator non solum virtutum omnium ornamentis excultus fuit, sed etiam factus nobis est à DEO earundem perfectissimum exemplar, mensura, *Perpendiculum*. Hoc sensu, *Omni Christi aditio nostra est instructio*.

Sumo illud ex Zacharia Propheta, qui capite 1. *Perpendiculum*, ait, *extendetur super Ierusalem*: id est, sensu literali, iterum ædificabitur: non enim extendunt artifices perpendiculum, nisi quando ædificant, aut ædificium perficere volunt. Tropologicè autem, sensu ad mores accommodato. Franciscus Ribera, per *Perpendiculum* accipit Legem DEI, quam nuper probavimus esse Regulam nostram Architectonicam, quæ sæpe pro Perpendiculo, & hoc pro illa ponitur, cum Perpendiculum sit quædam Regula. Ait autem quosdam sine Perpendiculo ædificare, qui virtutes virtutibus, operando strenuè, tanquam lapides lapidibus connectentes, regulam veram, quæ ex DEI est, non adhibent considerando, quid secundum illam rectum, quid obliquum; sed oculis metuentes, pro Perpendiculo: hoc est, voluntati suæ carnique iudicium relinquentes, quasi rectum amplectuntur, quodlibet, & illud maximè, quod concupiscentia suadet. Sicut mulieres illæ (in quibus procaces animæ, & leves, seque ipsas amantes intelliguntur) dicebant audaciter Jeremiæ, cap. XLIV. *Sermonem quem loquutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro*. At cum Dominus misericors & miserator revertitur ad Ierusalem, & plenè animam occupat, extenditur Perpendiculum super Ierusalem, & omnia DEI voluntate definiuntur; pulsaque concupiscentia regnat Spiritus, & Lex DEI: ut dici possit de illo: *In Lege Domini voluntas ejus: & in Lege ejus meditabitur die ac nocte* Psal. 1.

BONA hæc est interpretatio, & moralis expositio: sed illi non cedit, quæ nostro est magis accommodata instituto, & Perpendiculo, tanquam symbolo CHRISTVM, eiusque vitam & mores designari significat: nam alibi quoque Mensuræ Architectonicæ figura symbolicè exprimitur. Certè. Apocalypsis XXI. ubi agitur de mensuranda Civitate sancta, quæ est imago Ædificii spiritualis, aut hæc illius, scribit Ioannes: *Quiloquebatur mecum habebat mensuram arundineam, ut metiretur Civitatem: & mensura est murum ejus, mensura hominis, qui est Angeli.* Quod Glossa Christo accommodat, tanquam Ecclesiæ militantis & & triumphantis Mensuræ.

Hoc schemate fortasse vocatur Christus Disciplina, Psalmo secundo, *Apprehendite Disciplinam*, ne quando irascatur Dominus. Quod Chaldaus vertit: *recipite doctrinam*: LXX. autem, *ἀπαλαύτωσθε παιδείας*, *apprehendite velut manu disciplinam*. Vbi Disciplina Hebraicè est *Bar*, quod significare potest filiū, & illud, *apprehēdite*, adorare: quare vertunt multi, *Adorate Filium*. Itaque Filius DEI adorandus, Christus JESVS, est *Disciplina*, *Doctrina*, *Perpendiculum*, ad quod omnis rectitudo in Virtutum Ædificio est constituenda. Huc facit, quod superius adduximus et Canticorum I. *Recti diligunt te*, ubi LXX. *Rectitudo*, vel *Aequitas*, id est Christus, ut interpretatur D. Gregorius Nyssenus. Simili sensu Clemēs Alexandrinus lib. I. Stromateum auctor est à Petro Apostolo, Christum appellari solitum Legem & Rationem, quam ille regiam, & animatam prædicat. Porro, Christum Dominum non solum esse Perpendiculum, quo æquetur Ædificium humanum, & examinetur rectitudo structuræ hominis, sed etiam Angeli, observat S. Augustinus lib. I. de Consensu Evangelistarum cap. 55. sic scribens: *Consultum est divina providentia mortalibus, quorum temporalis vita in rebus orientibus et*

occidentibus occupata tenebatur. ut eadem ipsa DEI Sapientia ad
 vitam Personæ suæ homine adsumpto, in quo temporaliter nas-
 ceretur, viveret, moreretur, resurgeret, congrue salutis nostræ dicen-
 do & faciendo patiendo & sustinendo, fieret & deorsum homini-
 bus exemplum redeundi, & iis, qui sursum sunt, Angelis, exem-
 plum manendi.

ARTICULUS IV.

EXEMPLVM CHRISTI

*Quomodo applicandum sit, tanquam Perpendiculum, ab
 Architecto Christiano.*

EXACTISSIMVM est Perpendiculū Salvatoris nostri
 Exemplum, ad quod si virtutes omnes exigeremus,
 facile quid illis desit in notitiam nostram veniret. Vis
 scire, an Humilitas tua, abjectio, & tui ipsius contem-
 ptus rectè confurgant? applica Perpendiculum. Consi-
 dera idem talem illum qui dixit: *Discite a me, quia mitis
 sum & humilis corde* Matthæi XI. Qui nunquam legitur
 cum ullo hominum contendisse de primo loco, primo
 accubitu, primis salutationibus, ambulatione ad dexte-
 ram, sessione in capite, præcedentiâ in egressu, & simili-
 bus ambitionis quisquiliis. Qui cum orta esset conten-
 tio inter Discipulos quis eorum videretur esse major,
 præcepit humilitatis officium, præmissio inter suos &
 alleclis discrimine: Luc. XXI, 24. *Reges Gentium dominan-
 tur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.
 Vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: &
 qui præcessor est, sicut ministrator.* Adducit deinde Exem-
 plum suum velut Perpendiculum: *Ego in medio vestrum
 sum, sicut qui ministrat.*

AMBI-

AMBIGIS de Patientiæ tuæ rectitudine? arripe Perpendiculum, & accommoda. Christus cum malediceretur, inquit Petrus Apostolus, (a) non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste. Ad hujus ergo similitudinem & imaginem, ut monet S. Ambrosius, (b) Iustus suæ vitæ cupiens instituta formare, accusatus tacet, læsus remittit, dissimulat læsensus, & non aperit os suum, ut illum imitetur, qui sicut Agnus ad victimam ductus, non aperuit os suum: & cum possit habere quod referat, magis vult silere, quam dicere: ipse enim Dominus IESVS cum accusaretur, tacebat; & cum percuteretur, non repercutiebat. Dubitas de æqualitate Obedientiæ? appone Perpendiculum. (c) Christus factus est obediens usque ad mortem: mortem autem Crucis. Subditus erat DEUS homini: & tu te opponis legitimo magistratui. Quid refragaris terra & cinis? Vereris curvitatem in studio Paupertatis Religiosæ? examina illam ad Perpendiculum. *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habuit ubi caput reclinaret. Lucæ 1x. 58.*

(a) 1. Petri 2. 23. (b) S. Amb. in Psal. xxxvii. (c) Ad Philip. ii. 8.



SERMO IV.

NORMA

Architecti Christiani

EXEMPLVM SANCTORVM.

ARTI-

(a) Vir
ni 2. (c) U

ARTICVLVS I.

Probatur ejus usus ex Sacra-Scriptura.



PERPENDICVLO haud multum absimile est instrumentum, quod vocatur NORMA, vulgo QVADRA Angulis dirigendis accommodum, ut docet Vitruvius. In Architectonicâ Christianâ, post Legem, quæ est Regula, & Exemplum Christi, quod est Perpendicularum, dirigendis actionibus studiosis deservit, tâquam Norma, Exemplum Sanctorum, qui Christi imitatione excelluerunt. Ita sentiebat Paulus Apostolus Sapiens ille Architectus, qui instruens primos Ecclesiæ Christianos, provocat ad fidem Sanctorum Veteris Testamenti, quorum propterea integrum texit catalogum, ad Hebræos XI. eorum simul virtutes aliàs commemorans, imitandasque proponens. Simili modo S. Petrus in medium adducit obedientiam Saræ, & justitiam Lothi. Eodem fine S. Jacobus memorat sufferentiam Jobi; & constantiam in orando Eliæ. *Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione oravit ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursus oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum. Item, obedientiam Abrahami, & bonorum operum ubertatem. Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?*

Huc spectat illud Senioris Tobiaë, qui uxori ob plagam cæcitatæ à DEO immissam obmurmuranti, dicebat: *Filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam*

DEUS

(a) Vitru. lib. VII. (b) Plin. lib. XXXVI. cap. 22. (c) 1. Petri 3. (d) 2. Petri 2. (e) Jac. 5. (f) Jacob. 2. 21. (g) Tobia 2. 17, 18.

DEUS daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eis. Et istud Prophetæ consolantis se in persecuptione Iezabelis mortem violentam intentantis, cum peteret animæ suæ ut moreretur, diceretque, *sufficit mihi, Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum, quam patre meo.* Hac Normâ, ut utamur, monet Apostolus, Hebræos ad opus Architectonicum extimulans: *Memento Præpositorum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum DEI, quorum inventus exitum conversationis, imitami fidem.* Immo, Christus ipse hanc Normam in manus dabat adversariis suis, ut ea examinarent, quæ benè se agere existimabant. *Pater noster Abraham est, dicebant. Annuebat Dominus, sed inferebat: Si filii Abraham estis, opera Abraham facite.* Accipite exemplum Abraham veluti Normam, & angulorum domus vestræ curvitatem corrigite, id est, operationum vestrarum pravitatem emendate.

OB hanc causam Ecclesia Catholica dies festos hominum Sanctorum indicit, & solenniter celebrat. Verùm, quamvis omnium à mundo condito Sanctorum exemplum sit Norma, quâ Fabricam & suam & aliorum explorare possit Architectus Christianus; tamen magis exactæ perfectæque Normæ rationem habet eorum Exemplum, qui in Novo Testamento, quod est gratiæ & sanctitatis, Ideam omnis perfectionis Christum Dominum moribus actionibusque suis quàm proximè exprimere sunt conati. *Imitatores, inquit Apostolus I. Corint. IV. 16. mei estote sicut & ego Christi.* Quem sic referebat ipse, sic ad eum alios quoque conformare nitentur. Quare eam veræ virtutis functionem Ecclesia Doctores asserunt, quæ formam habeat, similitudinemque perfectam rectitudinis ac sanctitatis Apostolorum virorumque Apostolicorum, quales quolibet seculo

Eccle-

(a) 3. Reg. 19, 4. (b) Ad Hebræ. XIII. 7. (c) Ioann. VIII.

Ecclesia Catholica fuerunt non pauci. Ad quorum imitationem dum nos hortatur Ecclesia, docet ipsorum Exemplum nostræ vitæ Normam esse. Vtinam ille quotidie actionibus nostris accomodemus. Præclara est ista S. Augustini ad hanc rem commonitio. *Serm. 47. de Sanct. Quotiescumque, fratres carissimi, Sanctorum Martyrum solennia celebramus, ita, ipsis intercedentibus, expectemus à Domino consequi temporalia beneficia, ut ipsos Martyres imitando, accipere mereamur eterna. Ab eis Sanctorum Martyrum in veritate festiva gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum Exempla sequuntur. Solennitates enim Martyrum, exhortationes Martyrorum sunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Sed nos volumus gaudere cum Sanctis, & tribulationes Mundi volumus sustinere cum illis. Qui enim Sanctos Martyres, vel in quantum potuerit, noluerit imitari, ad eorum beatitudinem non poterit pervenire.*

A R T I C V L V S II.

EXEMPLO MAIORUM

Benè credentium & operantium, veluti Norma, deprehenditur obliquitas Fabricæ Spiritualis.

HINC apparet, quanta sit hujus Normæ necessitas & utilitas qua applicata Majores nostri, Viri orthodoxi, & singulari Sipientia præditi explorarunt, demonstraruntque in multorum fabricis inæqualitates proclinationes, & alia vitia haud minima, quæ auctores ipsos, homines cetera summos, latebant. Hac apposita Norma condemnarunt nonnunquam iidem erroris sententias, à multis receptas, & judicatas verissimas; rejecerunt instituta, & mores ab aliis approbatos; habuerunt tanquam

quam

quam scelera, quæ putabantur facinora heroica, quia
 probitatis & perfectionis Christianæ specimen præse-
 ferebant. Vt Origenis Adamantii, ex castitatis amore
 inconsiderato, præcipitem corporis castrationem: Eua-
 grii Pontici passionum, & sensuum cohibitionem te-
 lem, quæ non differet à Stoicorum *ἀπαιδεία*: Priscilianita-
 rum immoderatam abstinenciam: Novatianorum
 immodicam, puritatis prætextu, severitatem: Paupe-
 rum Lugdunensium intolerandam rerum omnium ab-
 dicationem; & istiusmodi alia multa, quæ quamquam
 virtutis speciem haberent; tamen quia longè aberant
 ab antiquâ Apostolicaque Sanctitate non habere recti-
 tudinem debitam Ædificio spirituali virtutum est an-
 madversum, & à peritissimis Ecclesiæ Architectis judi-
 catum.

HANC dnique Normam, quæ est Patrum antiquo-
 rum Exemplum, adhibet Ecclesia, ad novarum doctri-
 narum rectitudinem investigandam, ad nova vivenda
 Instituta examinanda, novos Ecclesiasticorum morem
 contemplativorum afflatus, visa, revelationes scemini-
 ut spargitur, factas, probandas vel improbandas. Si
 quidem existimat, se tunc demum ab omni superstitione,
 errore, dolo, falsitateque liberam fore, ac tutam,
 post Regulam Legis divinæ, & Perpendicularum, quod
 est Exemplum Christi Domini, admoveat Normam
 exemplarem à Majoribus acceptam, cujus auctorem
 fuisse ipsam increatam, & incarnatam Sapi-
 entiam Architectricem non
 ambigit.

☉ (o) ☉

SERMO

S E R M O V.
LIBELLA ET AMVSSIS

Architecti Christiani

PRVDENTIA ET DISCRETIO.

A R T I C U L V S I.

Ex doctrina Patrum.

AD FINE admodum est Normæ Instrumentum illud architectonicum, quod LIBELLA dicitur, & cum hac, munere conveniens, AMVSSIS. Vtrumque superius est definitum: utroque plana coæquantur, & diriguntur ad rectitudinem ligna, & lapides. Libellæ rationem in Architecturâ nostra habet *Prudentia*, Amvssis verò, *Discretio*. Utraque efficit, ut nihil ad rectitudinem in Virtutibus desideretur: & , nisi adhibeantur maturè, fabrica virtutum multa vitia contrahit. Audiatur Papa Gregorius, cuius est hoc enunciatum, *Nisi Virtutes, Sapientia epulis repleta, ea, quæ appetunt, prudenter agant, virtutes esse nequam possunt.* De Discretione, quo nomine utuntur scriptores Ecclesiastici, & potissimùm Ascetæ, idem affirmant Magistri Spirituales. Et quidem Ioannes Cassianus

Quint Pars.

O o

nus

(a) Lib. 2. Moral. cap 33.

nus (a) tantum ei tribuendum censeat, ut afferat eam in virtutis exercitatione esse Lucernam illam Evangelicam apud Matthæum & Lucam, (b) quæ totum corpus lucidum facit: immò, Solem quem Apostolus monet: ne occidat super iracundiam, ad Ephesios IV. tum verò, ex Salomone in Proverbiis, *Gubernationem vitæ, Consilium, Sapientiam*: præterea, ex Apostolo Paulo *cibum solidum*: & quæ comparari aliquatenus potest cum Verbo DEI: quandoquidem de illo scriptum est, *Discretor cogitationum, & intentionum cordis*. Ex quibus, & ex S. Antonii sententia concluditur: Manifestissimè declaratur, sine Discretionem nullam vel perfici, vel stare posse virtutem. Nimirum, quando paries ad Libellæ rectitudinem non est conformatus, neque ad Amussim erectus, proclinat, & facile in ruinam tendit. Hæc adeò vera sunt, ut Virtutibus quoque Theologicis hæc instrumenta accommodari debeant: nam nec actus fidei, spei, & caritatis nomen tuentur suum, nisi ad Prudentiæ Libellam, & Amussim Discretionis exacti prodeant.

(a) *Collat. 21. cap. 4.* (b) *Matt. VI. Luc. XI.* (c) *Prov. XI. 14.* (d) *Hebr. VII. 23.* (e) *Hebr. IV. 12.*

ARTICULUS II.

EXEMPLO CHRISTI

Idem a lstrui r & stabilitur.

IN Christo annorum duodecim puero commendabatur Prudentia, cum sederet in medio Doctorum, & interrogaret, responderet, sileret. *Luc. 2. Stupebant omnes, inquit Evangelista, qui eum audiebant, super prudentia, &*

respon-

responsis ejus. Ego etiam stupeo super Prudentiâ & Discretionem in dando responso Parentibus eum in templo querentibus, & tandem invenientibus. Manserat iis insciis, ob religionis negocium: discurretur, investigatur, deprehenditur: dolorem ostendit Mater, quod clam se subduxisset, & abfuisset triduo à suo & cognatorum cõtubernio. *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes querebamus te.* NON, dicit Christus tumultuosè. quid ad vos? non equidem teneor vobis audire in hac re, quæ religionem spectat, & DEUM, mei sum juris. Ite vias vestras: hic manere volo. Non centebat ista esse responsa ad Libellam Prudentiæ, & Discretionis Amussim exacta. Illustre exemplum pro filiis familias in potestate parentum constitutis, qui etiam si possint aliquando ire ad templum, remanere diutius, quàm parentibus sit gratum; tamen ea de re conquerentibus, nunquam est obmurmurandum; nunquam dicendum, non teneor vobis obedire; quod pessimè sonat, nec usurpandum iis esset, etiam in Religionis ingressu, nisi alia non levis momenti subsit causa.

EST enim juris naturæ, obedire parentibus: at, Consilii Evangelici tantùm, relictis omnibus, Religionis arripere Institutum. Ius autem, sive Lex naturæ magis & strictius obligat, quàm Consilium Evangelicum; quod tamen quidem obligat, nisi sponte libereque susceptum, aut voti religione promissum. Quod ordinariè nõ est concipiendum inconsulto & inscio patre spirituali, conscientiæ moderatore; nec mandandum executioni, nisi indicetur prius parentibus carnalibus, & ipsorum requiratur consensus, aut constantia in proposito, aliisque modis licitis, per se, perque alios extorqueatur. Hoc suadet Discretio, & Prudentia Christiana: hoc parentum meritum, hoc filialis amor ac debitum postulât. Hoc

Christi exemplum docet, quod est Regula, Norma, Libella, Amuffis omnium actionum Christianarum.



SERMO VI.

CALAMVS

Architecti Christiani

MODVS ET MEDIOCRITAS.

ARTICVLVS I.

Quid sit Calamus Architectonicus. Et quod ejus munus ad Fabricam.

IN Divinis litteris, quando Architectus effigitur, vel uno, vel duplici instrumento lignis representari solet, Funiculo, & Calamo arundineâ, seu Calamo. Cùm Ezechieli cap. XL. offerretur Templum & inspiciendum, & singulorum partium mensuræ ac totius fabricæ symmetria contemplanda, primò dedit se videndum Vir, & funiculus in manu ejus, & Calamus mensuræ in manu ejus, ut inquit Sacer historicus noster. LXX. vertunt, *In manu ejus erat funiculus cementariorum, & Calamus, mensura.* Theodoretus habet, *Calamus & Funiculus ad adificandi usum confectum.* S. Hieronymus autem, *Funiculus erat lineus, sive cementariorum, in manu ejus;* de quo & in Zacharia capite secundo scribitur

scriptum est, quod funiculum habuerit geometricum, ut latitudinem, & longitudinem urbis metiretur. In Novo Testamento, Ioanni Apostolo, Apocalyp. xi. cùm mandaretur, ut tanquam Architecturæ utriusque peritus, metiretur Templum DEI, & Altare, & adorantes in ea, datus est Calamus similis Virgæ, dictumque, *Surge & metire Templum DEI.* Vsum autem tum Calami, tum Funiculi explicant Rabbini in cap. xl. Ezechielis. Vbi R. David Kimchi utrumque instrumentum ad metiendum adhiberi solitum tradit, mox subdens, *Funiculo homo mensurat mensuram magnam in area, aut in profundo: Calamo autem mensuram parvam, qualis est mensura ædificij.* R. Salomô scribit *Calamo* mensurari grossitiem muri, & longitudinem ac latitudinem portarum. Sed de Funiculi usu superius differvimus, & Regulæ adjunximus, vel cum illo convenire ostendimus: superest ergo Calamus.

ARTICULUS II.

MODUS ET MEDIOCRITAS

Quomodo, tanquam Calamus, Architecto Sacro sit usui.

NVNQVAM faciet Architectus Christianus, virtutum parietem rectum, nisi secundum Mediocritatis Calamum, & Modi mensuram illum erigat, ac dimetiatur. Non habet veram Virtutem, quisquis plus aut minus facit, quàm vera virtus postulat: at utrumque Modus corrigit, & Mediocritas: quam virtuti tam conjunctam adnatamque censet Philosophus, ut Virtutem definiat esse Mediocritatem: & commune est illud Theologorum æquè ac Philosophorum pronunciatum:

Oo

Vir-

(a) Arist. I. Ethic. c. 6.

Virtutem consistere in modo ac mediocritate; sive in Medio, duorum extremorum: immò, ut Lyricus cecinit:

Virtus est medium vitiorum utrimque reductum.

Hinc est illud præceptum architectonicum Sapientis Ecclesiastæ: *Noli esse iustus multum: id est, plus æquo & nimis: neque plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas: id est, stupidus & insipiens fias.* quasi dicat; ad Iustitiæ, & Sapientitiæ, quæ sunt præcipuæ Aedificii spiritualis partes erigendas, adhibe Calamum Modi ac Mediocritatis. In quo axioma, nomen Iustitiæ, aut ejus concretum, non accipitur solùm pro illa virtute, qua jura proximi servantur, sed pro quavis etiam alia. *Bona quidem est Iustitia, omnisq; virtus, ut differit S. Bernardus, sed quia adhuc infirmi sumus, oportet, ut bona ipsa temperentur, ne forte elationis aut indiscretionis vitium incurramus. Sicut corporeus iste Sol, licet bonus sit, & valde necessarius, tamen fervor ejus, nisi temperatus fuerit, infirmo capiti, & splendor infirmis oculis nocet.* Monet idem mellifluus Doctor in Sententiis suis moralibus, dicto illo Sapientis, quo præscribitur in virtutum exercitio Modus ac Mediocritas, includi illud usurpatum à Magistris morum, *NE QUID NIMIS;* & ut reprimatur fervor pœnitentiæ, aliarumq; virtutum procurio immoderata, ne noceat unitati, & serviat indiscretioni. Quod illustrat exemplo, omnia in corpore humano ad mediocritatem redigentis Medici.

AN dubitas, inquit, inveniri & in anima sanguinis non inutilem abundantiam? Audi Sapientem Medicum, qui & ipsum docet Iustitiæ sanguinem minuendum. Noli, inquit, nimium esse justus. Simile est & istud Apostoli, Ad Rom. XII. Non plus sapere, quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem. Cui putat venæ parcendum est, si & justitia & sapientia egent minutione: Quis enim sanguis utilior? Illud tamen memento, nec nimis justum,

(a) Horat. (b) VII. 17. (c) S. Bernard. ser. 4. in Psal. 90.

justum, justum: nec ebriam, ut ita loquar Sapientiam, oportet Sapientiam nominari. Sic nimirum & in sanguine corporis invenire est: ubi excreverit nimis, non jam adfirre corpori nutrimentum, sed detrimentum. Quamobrem si delectat peccare adhuc, sanguis vitiosus est, & minuere festinato. Si vis agere pœnitentiam, castigare ut oportet membra, corpus affligere, judicare te metipsum, ut non incidas in manus DEI viventis: justum id quidem, sed ne quid nimis. Alioqui reprimendus est fervor immoderatus, ne noceat unitati, serviatur indiscretioni. Ita S. Bernardus, quod approbant alii Doctores (a) Spirituales, qui illud etiam ingerunt quod est Proverbior. xxiii. Pone Prudentiam tuam MODUM. vel ob hanc causam, quia ut dicitur Ieremiæ XLVIII. Qui plus fecit, quam potuit idcirco perijt. Huc facit paræmia Græcorum, *μετρον αριστον*: Modus optimus Est Modus in rebus, sunt certi denique fines

Quos ultra citraque nequit consisti rectum.

Hoc adeo verum est, ut Pietati quoque, Religioni, & quibuslibet aliis divinis virtutibus CALAMUS Modicitatis Modice adhiberi debeat. S. Hieronymus sanè, vocat nimis justum, phrasi Sapientis, qui sit in religione superstitiosus, & erga debiles inhumanus. Si quem rigidum, ait, & trucem ad omnia fratrum peccata conspexerit, ut nec in sermone peccati, neque propter naturalem interdum pigritiam moranti det veniam, hunc scito plus justum esse, quam justum est. Nam in humana justitia est fragilitati conditionis hominum non ignoscens. Similiter Isidorus Pelusiota dicit esse nimis iustum, tum qui jus suum nimis rigidè persequitur, tum, qui superstitiosus est, tum, qui exorbitat à medio virtutis. S. Ambrosius arguens Novatianos, homines durissimos, qui certis peccatoribus negabant pœnitentiam,

O O 4 nimis

(a) Dio. Carthus. Ecc. VII. (b) Petrus Blesens. Ser. 16. in hebdom. 5. (c) Horat. Saty. lib. 2. Ode. 10. (d) Lib 16. in Isa. cap. 57. (e) Matth. VII. Nolite judicare. (f) Isid. lib. 3. epist. III. 3. 20. (g) Ambr. lib. 1. de Pœnit. cap. 1.

nimis justos esse voluisse ostendit, atque exorbitasse, quod non admoverent Calamum Moderationis ad virtutis structuram. Addit autem, propè omnium pulcherrimam virtutem esse Moderationem: quum Virtutum ille finis sit maximus qui plurimorum spectat profectum. Quod confirmat exemplo DEI, & Christi Domini ovem lassam vehentis, non abijcientis. Tandem verò concludit: debet Iustitiam temperare Moderatio.

E contrario, *Noli esse nimis justus*, quidam interpretantur: noli esse nimis levis, mollis, placidus, nimis bonus, ut omnia peccata dissimules, & nullis resistas. Ita ferè Chaldaeus, & Hebræi in Midras, ac R. Haccados, & in exemplum adducunt Saulem, nimis justum seu bonum, quum pepercit Agag, & melioribus armentis, contra præceptum DEI, 1. Reg. 15. 8. Ideoque de regno & vita deturbatus fuit. Sed universim Ecclesiastes sancit, Calamum mediocritatis & modi esse adhibendum in iustitia, tum propriè dicta, tum generatim accepta, nimirum in omni virtute. Sic Sapientissimi Interpretes, inter quos Gregorius Nazianzenus, in *Distichis*. qui hoc inde sumit monitum: *Cave, ne vel nimis rigidam Iustitiam, vel incurvam, vel versutam prudentiam habeas. Optimus enim omnibus in rebus est Modus. Animi perfidiam rege, ne alioquin à fortitudine ad demeritatem desciscat.* Idem in Oratione xxvi. sic præcipit. *Ne magnoperè justus sis, nec supra modum Sapiens. Par enim Iustitia, & Sapientia detrimētum adfert, acris tam in act:one, quam in sermone animi impetus, à bono nempe & à virtute propter excessum excidens.*

VIRTUTEM defectus & excessus per aequè labefactant, nō siccus, nec Regulam additio aliqua aut detractio. Nemo igitur sapientior sit, quam conveniat, nec Lege exactior, nec Luce splendidior, nec Norma rector, nec Præcepto
divino

divino sublimior. Id verò qua tandem ratione consequemur? Nempe, si modesti & compositi esse curemus: naturæ Leges cõprobemus, Ratione ducem sequamur, ordinem & Disciplinam non aspernemur. (a) Eiusdem est carmen.

*In medio porro VIRTUS est fixa malorum,
Haud secus ac spinas inter rosa mollis acutas.*

Itaque si Sapiens velis esse Architectus, (b)

MENSURAM serva. MODUS in re est optimus omni.

(a) Nazianz. in precept. de Virg. (b) Hesiodus.

ARTICULUS III.

CALAMVS

ΤΟ ΠΡΕΠΟΝ. *Decorum.*


EODEM jure cum superioribus, Calamum Architectonicum rectè dixeris, illud à Græcis usurpatum, τὸ πρέπον, à Latinis, *Decorum*. Quo si metirentur homines virtutis studiosi, sive actiones omnes suas, sive vitæ totius processum, nihil nisi rectum, æquale, concinnum-que fieret, τὸ πρέπον enim, veluti *Calamus*, operationibus humanis admotum, facit, ut quælibet suo ordine, tempore, modo, intensione constituentur. Ut alius sit vultus domini, alius servi: alius senis, alius juvenis: ut alii sint virorum, alii fæminarum habitus. Hoc monemur, non quæ conveniunt militibus, convenire Ecclesiasticis: non quæ secularibus, esse consentanea Religiosis: Hoc suggeritur, ut non quilibet cui libet imperetur.

— *ne fortè seniles*

Mandentur iuveni partes, pueroq; viriles.

deni-

denique, Decorum quicquid in act: onibus humanis honestum videtur, quicquid pulchrum, quicquid probabile, ostendit ac promovet. Nam id Sapientes volunt esse Decorum vt monet M. Tullius, 1. de officiis, quod ita naturæ consentaneum est, ut in eo modèratio & temperantia appareat; cum specie quadam liberali.



NOTÆ,

CALAMUS cum sit frutex aquaticus, ex quo varia res fiunt, diuersa significat. 1. Instrumentum scriptorium, quod antiquitus ex arundine consiciebatur. *Martialis in distichis.*

Dactylartus calamos habiles Memphitica tellus

Texantur reliqua tecta palude tibi

2. *Sagittam. Plin. lib. 16. Calamis populi Orientis bella confiniunt. Virgil. Eccl. 3.*

—— *Cum Daphnidis arcum*

Fregisti, & Calamos ——

3. *Fistulam. Virg. Edo. 5.*

Nec calamis solùm equi paras, sed voce Magistrum.

Eccl. 3.

Pan primus calamos cera conjungere plures

Instituit. ——

4. *Instrumentum piscatorium, cui hamus longo filo alligatur, ad capiendos pisces.* 5. *Instrumentum aucupis visco illitum capiendis piscibus idoneum. Martial.*

Galbula decipitur calamis, & retibus ales.


6. *Stipitem, vel baculum teretem & fistulosum. Sic vitium & arborum calamos dicimus, quorum etiam num magnus usus est in Italia, ubi vites cannis, arundinibus, seu calamis alligantur, & sustentantur.*

7. *Speciem aromatis. Vnde dicitur, Calamus aromaticus, calamus odoratus, Acorus. de quo Dioscorides, Junius & alii.* 8. *Instrumentum Architectonicum, ad mensurandum aptum. communiter est vi. cubitorum & palmi. Nominatur in Sacra-Scriptura, ubi de Templo, & dicitur calamus mensuræ, Ezechielis xl. ver. 3. Ecco vir & funiculus*

lineæ

lineus in manu eius: & Calamus mensuræ in manu eius. Hebraicè, ubi Latinus habet Calamus, est כַּבֵּל chene, ut notat Vilalpandus, Tom. 2. lib. 3. cap. 8. qui addit, eandem Hebraicam vocem usurpari vulgo ab Italis, dicentibus canna, & Gallis, quibus est canne, Hispanis quoque, qui pronuntiant canna. Vocatur autem hac longitudinum mensura canna, ut mox subiungit, quia longitudine cylindricâ formâ cannam refert: deinde, qui cubitis ac palmis distincta cum esset, calamini nodos imitabatur. Huius modi Calami formam, preciosamq; materiam expressit Apocalyps xx. 15. Ioannes Euang. Et qui loquebatur habebat mensuram arundineam auream; alii legunt, Calamum aureum: nonnulli, mensuram, arundinem auream; voce auream, indicans materiam ex qua confecta erat; nomine arundineam, denotans formam, quod esset arundini similis. Adde, colorem aureum non esse valde dissimilem arundineo. Hanc arundinem Aretas in Apocalyps. tradit fuisse geometricam, illis nimirum similem quibus terram dimetiuntur geometra. At fuisse instrumentum fabricæ & architectonicum colligitur ex Apocalyp. xi. 1. ubi Ioannes eiusmodi mensuram similem virgæ, nempe, arundinea fuisse scribit: Datus est mihi Calamus similis Virgæ & dictum est mihi surge, & metire Templum DEI.

AUCTORES consulantur. Richardus in Explanacione Templi Ezechielis. Franciscus Ribera Opere de Templo, & in Apocalyps. ibidemque Blasius Viegas. Alcazar, Cornelius; & hic quoque in lib. Reg. & Ezechielis 40. Ioannes de Pineda Lib. de reb. Salomonis, ubi de Templo. Ioan. Baptista Villalpandus Tom 2. Explanacionum in Ezechiel. lib. 3. cap. quod est totum de Funiculo & Calamo mensura in vniuersum. Vbi inter cetera docet, Calamum, Funiculum; Perpendicularum in Sacra-Scriptura, aut adificandi, aut evertendi adificii Symbola esse. per totum autem opus passim de Calamo Architectonico varia tradit, & usum demonstrat. Libro tertio citato cap. xxxi. Calami iustam mensuram subducit accurratè. Cap. xxxix. docet Calami, qui sex est cubitorum & palmi, usum esse maximum. Premiserat cap. xvii. Calamum totius Templi adificati modulum esse. Vbi etiam, quomodo sit constituendus Calamus demonstrat.



SERMO

SERMO VII.

CICONIA

Architecti Christiani

INTENTIO BONA.

ARTICVLVS I.

Quale instrumentum sit Ciconia Architectonica.

NOTISSIMA est avis Ciconia, rostro longè
protenso spectabilis: eo escam è terrâ, im-
mò, infra terram in lacunis latentem at-
trahit: nempe, serpentes & lacertasnam

— — *Serpente Ciconia pullos
Nutrit, & inventa per florearura lacerta.*

Quod Romanis cantabat Iuvenalis, (a) quorum liberi
tales evadabant, quales à parentibus instituebantur: al-
ludens ad naturam Ciconiæ, eiusque pullorum, qui à
teneris assuefacti colubris deinde avidissimè vescuntur.
Huius volucris figuram aliquatenus refert lignum ro-
stratum, quo è puteis aqua haustis attolli & educi solet.
Telonem agricolæ vocant, Hispani Ciconiam. Est a-
liud instrumentum eiusdem nominis, quo agricolæ uti
solebant in sulcis & fossis ducendis, ne qua pars aliis aut
profundior esset aut latior, de quo Columella lib. iv.
Huic operi erigen do, quasi quandam machinam commenti mai-

res nostri, Regulam fabricaverunt, in cuius latere virga prominens ad eam altitudinem, qua deprimi sulcum oportet contingat summam ripæ partem. Id genus mensura Ciconiam vocant rustici. Instrumentis istis non est dissimile admodum, in Architecturâ dictum, Ciconia, cuius est hæc structura. Trabs longa & robusta altè solo depangitur, cui altrinsecus altera longior transversa immittitur, fibula adstricta vnam partem prægravante. Eo instrumento, quæ sunt necessaria ad ædificationem in altum tolluntur.

Si autem ullibi, certe hîc Coloniae celebris est *Ciconia Architectonica*, quæ frequentissimè in oculos incurrit: & vrbs ipsa nullo alio signo est æquè noscibilis in mappis cosmographis, ac ingenti illa Ciconia, quæ insistit altitudini turris inchoatæ ad latus templi metropolitani, ubi magnis impensis, & multorum laboribus est constituta, ad ferrum, æs, lapides, aliaque eius generis attrahenda, quibus perfici posset fabrica, nisi deessent, quæ maximè sunt ad complementum necessaria. Licet autem ab ædificatione aliquot annorum centuriis cessatum fuerit, locum tamen suum retinet Ciconia, quæ certis temporum intervallis reparatur, ne concidat. Ea verò circumgyratione suâ magis, quàm clamorâ voce monet Colonienfes, ut sint Sapientes Architecti, & Domum DEI, si non illam mattetalem in terrâ, saltem spiritualement in animâ, & cælo perficiant: ne audire cogantur cum sarcasmo quod est Lucæ 14. *Hic homo cepit ædificare, & non potuit consummare.* Quod magis detestandum, quàm si à tergo per ludibrium eum pinseret ciconia (a)

Intelligitis ex his haud dubiè quale instrumentum sit in arte ædificatoria

Ciconia.

(a) Satyr. x. Pyrsius. *O Iane à tergo, quem nulla Ciconia pinsit.*

ARTI-

ARTICVLVS II.

INTENTIO BONA

Comparatur Ciconia Architectonica.


NON ignoratis autem, reor, Domum Sapientiæ extrui non posse sine intentione laudabili, siue illa Recta, siue bona dicatur: hâc enim necessariò debere adhiberi ad quælibet virtutum verarum officia, ex quibus fabrica spiritualis confurgit, in confesso est. Eam Magister cælestis Matth. vi. & Lucæ xi. vocat oculum, nempe cordis: non quod sit actus intellectus, ut Theologicè loquamur; sed cùm sit actus voluntatis, quâ quis secundum rationem, vult finem aliquem, ad quem se & actiones suas dirigat, eo vir Sapiens, tanquam itineris sui oculo, ac duce utatur. D. Bernardus eandem comparat Genas, & suavissimè differit, Serm. 40. in Cant. *Cogita anima faciem esse mentis intentionem: ex quâ nimirum re-ctitudo operis, sicut ex facie pulchritudo corporis aestimatur.* Sed cur Genas pluraliter dicendum putavit? Attende. Duo quædam in Intentione necessariò requiruntur, *Res & Causa*: id est, *Quid intendas, & propter quid.* Quæ facies altero horum caret, non habet genas, sicut turturi: multo minus si utrumque defuerit. Optima est comparatio, quam exemplis illustrat ingeniosus Abbas.

SED cur in Disciplinâ Architectonica Ciconiæ cot-ferri non possit perquam accommodatè, haud video. Est enim Bona intentio instar trabis altissimæ, ac firmis- simæ cuius ope, iunctis ponderibus vltimi finis, opera- tiones bonæ in altum tolluntur. *Intentio*, inquit S. An- gustinus Lib. 2. de Serm. D. in mon. cap. 21. *est quâ faci-*

mus, quicquid facimus. *Quæ si munda fuerit & recta, & illud aspiciens quod aspiciendum est, omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, necesse est, ut bona sint.* Ille autem dicitur habere bonam Intentionem, qui quæ facit bona, facit propter DEUM, seu finem altissimum, ut fufè explicat S. Bernardus loco allegato, ubi omnia intentionum genera partesque distinguit & exornat, tandemque concludit: *Solum inquire DEUM, propter ipsum solum: hoc plane est, utramque bipartite Intentionis faciem habere pulcherrimam.*

Hoc instrumento, tam alte educit Architectus Christianus suam fabricam, seu virtutum officia, ut ad rerum apicem DEUM eleuet. Facit enim *bona Intentio*, ut operationes, quamvis adiaphoræ, ut manducandi, studendi, deambulandi, ac similes non solum sint Deo gratæ, verum etiam vitæ æternæ meritoria. Sed quemadmodum aqua, si sit in fonte aut puteo corrupta, & lapides si non sint ad ædificationem idonei, per attractionem Ciconiæ putealis vitia non deponunt; ita nec bona Intentione fit, ut actiones quæ in seipsis malæ sunt, pravitatem deponant, & in bonas mutantur. Quod fortasse aliquis minus peritus opinari posset, furtum committendo, ut pauperibus largiatur quidpiam. Sed iam olim damnavit Apostolus dicentes, *Faciamus mala,*

ut eveniant bona: furemur, ut pauperum inopiam sublevemus: quorum damnatio,
inquit, *iusta est, ad Romanos III. 8.*



SERMO



S E R M O VIII.

T Y M P A N V M

Architecti Christiani

O R A T I O.

A R T I C U L U S I.

Tympani figura, & usus.

OCATUR ab Architectis Tympanum
 machina rotunda ad rotæ similitudinem,
 quæ à calcantibus hominibus circum ag-
 tur, & axis fune obvoluto, ac circumgy-
 ratione effert lapides aliaque omnis gene-
 ris pondera; vel aquam haurit situlis maioribus, vel et
 ruinis per canales, ut horti irrigentur. Huiusmodi Tym-
 pana in portibus emporiorum est cernere, ad exone-
 randas naves accommodata. Utilissimum Instrumen-
 tum, per quod facilis est gravissimorum ponderum at-
 tractus. Lucretius libro IV.

*Multaq; per trochleas, & Tympana pondere magno
 Commovet atque levi sustollit machina nisu.*

ARCHI-

ARTICVLVS II.

ORATIO

Cum Tympano confertur.

ORATIONEM haud malè conceperis, tanquam Tympanum, vel Rotam, quæ sursum deorsumque gyratione multiplici voluatur; & quidem continua quasi calcatione & gradatione, Intellectus, Voluntatis, & Memoria: quæ potentia se mutuo, vti homines in rotâ versatili consequuntur. Incipit ab imo: nam orans clamat *De profundis*: paulatim autem ascendit per rerum creatarum considerationes: tum ad summum venit aspirationum divinaram, & per coniunctionem cum DEO. Tandem iterum ad inferiora delabitur, res ad vitam necessarias postulando: sed has cum ad Dei honorem dirigit, rotam denuo ad superiora ducit.

Hoc Tympano gravissima & vastissima onera in altum tolluntur. Quod onus vastius Animâ humanâ quæ mundum in se continet? quod gravius eadem, quæ mille premitur ærumnis, calamitatibus, adde, peccatis? quæ sunt plumbea pondera Æternâ graviora. Anima tamen quamvis ipsa sibi gravis, quamvis peccatis sit immersa quamvis iniquitates supergressæ sint caput eius, ut deplorat sortem suam, exclamet identidem, *sicut onus grave gravata sunt super me*, huius ratione tympani in altum attrahitur, & ad summum evadit. Oratio namque est elevatio mentis in Deum: quasi dicas architectonicè, Tympanum, quo anima ad DEUM attollitur. Oratio, inquit D. Augustinus, (b)

Quinta Pars.

Pp

quid

quid est, nisi ascensio anima de terris ad celestia? Tam altè autem per hoc Tympanum ascendit, ut ad thronum altissimi perveniat. (c) Nam oratio humiliantis se nubes penetrat, & non discedit donec altissimus respiciat.

(a) Psal. xxxvii. 5. (b) Serm. 230. de Temp. (c) Eccl. xxxv. 11



S E R M O IX.

T R O C H L E A

Architecti Christiani.

COMPUNCTIO. CHARITAS.

ARTICULUS I.

Instrumenti delineatio.

SITATUM est in officina architectonica instrumentum, quod dicitur Trochlea: (a) eam licet describere, Machina tractoria cum æneo ligneove orbiculo, qui circum axiculum versatur: habet autem funem ductorium, qui per trochleæ orbiculum traicitur. Alii sic definiunt, Est instrumentum cum orbiculis ad sublevanda, & demittenda onera. Vel, Rotula striata è ligno aut ære, qua aqua hauritur fune ductario, & hydria. Budæus scribit, Trochleam significare totâ illam machinam

(a) Trochlea polystastos. τροχὸς. τροχελιοῦ.

nam, quæ continet rotulam & axiculum, per rotulam traiectum, circa quem rotula versatur & prætereà, ductarium funem; qui circa orbiculum æneum currit, quales in puteis videmus, quas *polias* vocant. Vitruvio, *Trochlea polisastos* est, in qua plures orbiculi striati versantur.

ARTICULUS II.

Trochlea - Compunctio

VT Trochleam videtur concepisse virtutem Compunctio- nis D. Gregorius Papa mirè felix in confin- gendis imaginibus symbolicis. Sic autem scribit libro I. Moral. cap. xxxv. *Virtutum sensus*, hoc est, pondera, & quanti quæque sit virtutis actio, ac qualis, melius preces, quàm discussiones inveniunt. Nam ea quæ perscrutari in nobismetipsis plenius nitimur, sepe verius orando, quàm investigando penetra- mus. Cùm enim mens per quandam Compunctio- nis machinam ad alta sustollitur, quod ei de se ipsa occurreret, sub se ipsa diu- dicando certius contemplatur. Dum audeo Machinam com- punctio- nis, obiicitur animo veluti Trochlea quædam quæ mens ad altiora trahitur.

ARTICULUS III.

Trochlea - Caritas.

HAUD minus congruè, ut existimo, tanquam Trochlea apprehendetur Caritas. Quæ virtute fit, ut omnes virtutes alię veluti per ductorium funem rotulę circum-

Pp 2

posi-

positum attollantur. Certè, altissimum operationum finem proponit Caritas, ad quem virtutum omnium functiones attollit: & ut attollat commodius funes in se continet. Funes enim Caritatis sunt, de quibus: *In funiculis Adam trahameos: in Vinculis caritatis* Osee II. 4. Apostolus quoque concipit Caritatem ut vinculum, vel funem attractorium, dum eam appellat *Vinculum perfectionis*, id est, perfectissimum, ad Colossenses. III.

UTINAM! quæ instrumenta Artis ædificatoriæ expressi, atque explicavi, ex quorum usu brevissime docui, apud vos usum haberent ab hodierno die, quàm vos omnes, quod opto Auditores bonæ ædificationis, perfecti essetis in Architectonica Christiana Artifices? Nam nihil à vobis, sive corde, sive lingua, sive manu, nihil cogitatu, loquela, operatione; denique nihil ab ulla potentia vel membro prodiret, quod non esset per Ciconiam bonæ intentionis, in altum eductum per Tympanum Orationis superis coniunctum, per Trochleam caritatis ad Deum attractum, denique nihil non perfectum ad Perpendicularum Exempli CHRISTI JESU, cum quo opto equidem ut proficiatis, sicut ætate, sic sapientia & gratia, apud Deum & homines, usque dum veniatis ad vitam æternam quam vobis enixissime precor, dare autem facillimè potest, qui solus omnia,
Deus Pater, Filius & Spiritus-Sanctus.

AMEN.



SERMO



S E R M O X.

CLAVI

Architecti Christiani.

ARTICULUS I.

*Tempus adificandi peculiare in Ecclesia Christi, est à Domini-
nica Septuagesima, ad Dominicam Paschatis
protensum.*



ODIERNADominica, qua huc convenimus, Auditores dilecti dicitur *Septuagesima*, aut in *Septuagesimâ*, Ecclesiastica loquendi formula. Sic autem denominatur, vel à numero dierum Septuaginta, qui ab hac Dominica, usque ad dies temporis paschalis fluunt; vel ab hebdomadibus septem quæ numerantur usque ad Paschâ. Nec dispari modo, quæ proximè sequitur Dominica, appellatur *Sexagesima*, quæ deinde *Quinquagesima*, denique *Quadragesima*. Incipit autem ab hac Dominica tempus, melius quàm ante hac vivendi, seu ædificandi: tempus pœnitentiæ ac luctus, tempus exercendarum virtutum variarum, tempus vacandi gnaviter diversis pietatis officiis, tempus non solum adimplendi mandata Divina, verùm superaddendi opera aliqua, quæ quoniam non sunt præcepta, vocantur *Opera supererogationis*, alludendo ad illud boni Samaritani: *Quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, red-*

Pp 3

dona

dam tibi. Lucæ x. 35. Denique est tempus Artium ac Disciplinarum, quæ ad actionem referuntur, & à Philosophis denominantur Practicæ, inter quas primatum obtinet

ARS ÆDIFICATORIA, seu Architectonica Christiana, quæ facit bonos Operarios, de quibus est sermo in hodierno Evangelio. In quo alia quidem metaphora, sed eodem ducente, describuntur Cultores Vineæ, qui sunt iidem, quos nos appellamus Ædificatores Ecclesiæ, Apostolicique Viri, & quilibet fidelis Christianus, qui in se primo, tum in proximis ædificat Domicilium Virtutis, & Templum divinitatis. Ut autem quilibet Operarius, vel Artifex indiget instrumentis Artis propriis, sine quibus nullum opus artificiosum efficere potest, ut vinitor sine falce, sutor sine subula, sartor sine acu; ita variis opus habet Ædificator noster Evangelicus. Quem, ut omni instrumentorum genere instructum haberemus, donavimus illi Regulam, Perpendiculum, Normam, Libellam, Amussim, Calamum, Funiculum, Ciconiam, Tympanum, Trochleam. Sed mirati fortasse sunt aliqui, qui haud indiligenter hæc nostra audire solent, & excipere, cur nulla sit mentio Clavorum, nulla Mallei, quæ sunt instrumenta communissima, & ad omnem ædificationem necessaria. Quare, ne omit-
tamus, quæ ad suppellectilem Artis ædificatoriæ maximè spectant, de iis quoque ordine agendum est.

(* *)
* *

ARTI-

ARTICULUS II.

CLAVUS

Timor Domini.

CLAVI in omnibus penè domus partibus requiruntur, ad conjungenda illa quæ dissita sunt, Officium clavorum est, pertundere, figere, infigere. Effectus copulatio eorum, quæ antea erant separata: firmiter continere quidpiam, & facere, ut immobiliter hæreat. Quæ omnia & plura eius generis Timori Domini conveniunt, qui idcirco, ut clavus concipi potest, ut illum apprehendisse videtur Propheta Regius, orans suppliciter DEUM Psalmo c xviii. *Confige Timore tuo carnes meas.* Ubi ne unquam prævaricetur, aut peccando DEUM Judicem offendat, ac in se irriter, inusitatis precibus, ut loquitur S. Hilarius flagitat confirmationem in bono, & petit, carnes, id est, carnales cupiditates suas configi DEI Timore veluti trabalibus validissimis clavis, plane ut se amplius commovere non valeat, non insurgere, non recalcitrare, ut exponit Joannes Lorinus, qui sequutus commentatores Latinos, & ex Græcis probatissimos, addit, hoc esse, quod Apostolus appellat, *Crucifigere carnem cum vitiis & concupiscentiis*, ad Galat. 5. ne quicquam sit deinceps, quod avellere DEI amatorem cultoremque possit à sancto illo eius honore & amore, per quem semper legem ac voluntatem ipsius quàm exactissimè perficiat operando. Quemadmodum qui clavis in saxo fixus & affixus est, inquit S. Chrysostomus, moveri nequit. Latinus quidem Interpres non factâ mentione clavi aut clavorum, vertit originalia, *Confige Timore tuo carnes meas.* At LXX^{ta} legerunt in Hebræo quidpiam, quod clavorum

rum

rum significationem habet: undè verterunt *καθείλωτον ἐκ τῆ φόβου σε τὰς σάρκας μου*: quod Psalterium Ambrosianum ita Latinè exprimit: *Infige clavis à Timore tuo*: Vetus, & Augustinus ac Prosper, *Confige Clavis à Timore tuo*: Cyprianus, (a) *Confige clavis de metu tuo*. Et monet D. Hilarius, trāslationem Latinam minore dicti virtute eloquentiam esse, clavos non exprimendo: ait quoque S. Augustinus, (b) absque clavis Græcum *καθείλωτον* intelligi non posse: denique, in verbo Hebraicè correspondente, (c) Clavos agnoscunt, Richardus Cenomanus, Genebrardus, Avendano, Bellarminus, omnes Hebraici sermonis periti. Recte igitur

TIMOR ut CLAVUS concipitur, & *Clavus* dicitur. At, quis Timor? Imprimis Timor pœnæ, servilis, & imperfectus. Sic S. Bernard. Serm. de triplici cohærentia vinculi, qui docens animam spiritualiter DEO adstringi, aut affligi, tria instrumenta nominat, *Funem pudoris, Clavum timoris, Glutinum amoris*, ac ne dubitetur de timoris specie, adiungit epitheton, gehennalis. Et sanè, hic Timor præcipuè facit, ut sentiat molestia illa quam creat Clavi confixio. Ut enim docet S. Thomas in summa Theologicâ, 1. 2. q. 44. art. 1. & ostendit experientia, Timor causat contractionem, quam B. Damascenus, appellat lib. 3. cap. 23. *συσολήν*. siquidem Timor provenit ex apprehensione alicuius mali imminentis, quod difficile repelli potest: & hoc ex debilitate virtutis: hæc autem quo debilior, ad pauciora se extendit; sicut in morientibus natura retrahitur ad interiora, & stringuntur frigore membra. Sic quoque in trepidatione civitatis, cives recurrunt, quantum possunt ad interiora. Magis expressè de Timore servili disserit D. Bonaventura,

(b) Cyp. l. 2. cap. 20. cont. Iud. (b) Conc. 25. in Psal. 118.

(d) *למלך* Samar.

exponens illum versiculum, Timorisque effectum declarans: *Cum imaginatio, inquit, imaginatur supplicium peccatoris, quasi doloris gladio se succingit, & sensualitatis dissolutionem per formidinem sic constringit, quod eadem affectionis altitudinem non attingit, & illa rationis rectitudinem non adstringit.* Subiungit autem ita revera indicare voluisse Prophetam pronunciantem ista verba: *Confige Timore tuo carnes meas:* quasi diceret: *Constringe per terribilem imaginationem sensualitatis dissolutionem, quoniam à iudiciis tuis timui; quæ sunt penes rationem, ne violentur per voluntatis violationem.* Clarissime S. Basilius hom. in ps. 3: *ut DEI timorem Castitati conservandæ necessarium ostendat: Quemadmodum, inquit, qui corporis membra habent Clavis transfixa ad actionem quamlibet immobilia ea retinent, sic quorum animam occupavit Timor DEI omnem prorsus importunam peccati & obstreperam occasionem vitat.* Quare optimè oravit David, *Confige Timore tuo carnes meas.*

VERUM, Clavus ita Timorem servilem designat, ut Filialem, seu reverentialem, & castum atque perfectum (de quo in superioribus actum est) etiam significet: nam per hunc quoque anima Deo, & multo arctius, quàm per servilem adfigitur: hic animam æquè, immò magis penetrat, & contractionem caussat, dissolutione omni amotâ, & à peccato retrahit, & quicquid à servili potest effici facilius exequitur. Quod quæ mox adferimus luculenter demonstrabunt.

(***)

ARTI-

ARTICULUS III.

CLAVVS

*Amor diuinitus, Caritas, Fides, Spes, Continentia,
Virtus qualibet.*

ITA asserunt diversis locis & occasionibus SS. Patres: ac S. Ambrosius quidem lib. i. de Spiritu-Sancto explicans illud, *Confige carnes meas, non ferreis, inquit, Clavis sed Timoris & Spei. Est enim vehementior strictura Virtutis, quàm pœnæ.* Mox probat hanc vim efficaciam-que maiorem ex Petro Apostolo, quem fides arctissime vinxit, & adfixit. Idem S. Doctor libro de bono mortis cap. 5. *Clavum Amoris & Caritatis* producit, quem etiam S. Augustinus agnovit, Leo Magnus Pontifex Sermone ix. de Quadragesima Clavos Continentiæ nominat. Eadem autem analogiâ, qua istis Ecclesiæ Magistris Clavi Spirituales sunt ac denominantur, *Timor, Amor, Fides, Spes, Caritas, Continentia,* dicere possumus, Clavos esse, *Paupertatem, Castitatem, Obedientiam,* quæ sunt tres virtutes Evangelicæ, quibus Religiosi configuntur. Certe Petrus Blefensis Serm. 9. insignis inter Ascetas auctor, Religiosum scribit obedientiæ clavis esse confixum: quasi non unus sit Clavus, Obedientia, sed tot sint clavi quot Obedientiæ pro subdito mandata: nam omnia penetrant, & voluntatem configunt. Denique.

VIRTUS quælibet in Architectonica Christiana est *Clavus.* Cuius comparisonis tot penè sunt rationes, quot clavorum officia vel effectus. Imprimis, Clavo perforatur lignum, vel alia materia habilis: quod dum fit, eodem dividitur vna pars continui ab altera, & sepa-

ran-

tantur eatenus coniuncta: nam sine separatione non existit foramen. Hoc proprium est Virtutis Christianæ, quæ separat rationem à sensu, spiritum à carne, animam à corpore, honestum ab utili & iucundo, cælestia à terrenis, æterna à transitoriis, divina ab humanis; & illa consecretur, ista respuit: priora amplectitur, posteriora procul esse iubet. Qui temperantiæ dat operam instigatur à Virtute, ut esculenta & poculenta, quamvis dulcissima, si sint illicita, aut supervacanea à gustatu amoveat. Qui Castitati studet, iubetur à suâ magistrâ, ut abstrahat manum ab omni eo, quod delectationem impuram causare potest. Qui humilitati est deditus, omnem arrogantiam occasionem vitare compellitur à Domina, cui se in potestatem dedit. Sic Paupertas à Religioso separat omnem huius mundi substantiam, immò, & habendi cupiditatem. Obedientia subditum privat suæ libertatis usu. Aliarum Virtutum similis est ratio.

Quoniam autem in divisione continui, si hoc sit corpus animatum, sentitur dolor, ut patet experientia, sive isoriatur ex ipsa divisione, ut cum Galeno (a) docent Medici, sive aliunde, ut Philosophi disputant; hinc in virtutis exercitatione, præsertim initio, dum veluti ad ducto Clavo fit separatio proximè explicata, dolor percipitur, haud dissimilis illi quem patitur homo, dum manus, aut pes clavo perforatur. An fortasse hoc indicarunt in ethicis præceptionibus Philosophi, monentes suos tyrones ne terrentur ad aliquam virtutis acrimoniam, quod eius radices, hoc est, principia, amaritudinem habeant, dulcorem sequuturum, habitu per frequentationem adquisito.

PORRO, Clavus non tantum dividit dum adigitur, sed per effectum contrarium, quod divisum est, replendo

(a) Galen. in lib. Hippoc. de fract. Com. 3. §. 34.

do claudit. Vnde existimant nominum curiosi investi-
 ftigatores Clavum à Clavendo Latinis dici: nam ideo
 clavum figimus, ut claudatur, sive contineatur aliquid.
 Non est sanè aptius instrumentum, ad claudenda fora-
 mina rimasque curiositatis, ad concludendum os, ne sit
 apertum ad multiloquium, ad scurrilia, blasphemias, &
 ociosa colloquia, inania, quàm sit Virtus, taciturnitas
 caritatis, prudentiæ modestiæ, religionis: sicut nullus est
 aliustam potens ad continendos divini, Spiritus adhe-
 rus, instinctusque in anima devota DEO, quàm ideo
 virtutis Clavus.

JAM illud quoque huc facit, quod in proverbium
 biit, apud Latinos æquè ac Græcos: *Clavus Clavo truditur*
 aut pellitur, aut extunditur: (a) quo utebantur profana
 quum vitium vitio, malum malo, dolum dolo, vim
 audaciam audacia, maledicentiam maledicentia retu-
 dere nitebantur: Philosophi verò in morum disciplina
 versati docebant, rem utcunque molestam diversis
 liqua molestia profligandam esse: sic libidinum iticu-
 menta laboribus obrui debere; curam amoris aliis ma-
 ioribus curis domandam; ociandi cupidinem sciendi
 fiderio propulsandam. Meliorem usum habet in Archi-
 tectonica Christiana; in qua Clavus Clavo truditur
 quando virtute, ac Clavo, vitii oppositi Clavus, affe-
 onis perversæ clavus extunditur. Ut enim Virtutes sunt
 Clavi in Architectonica Christiana, ita Vitia sunt Clavi
 in Architectonica Diabolica. Profectò, vitia, & affectus
 vitiosi non minus cor peccatoris configunt, quàm clavi
 carnem; nec minus animum pungunt, & cruciant, quàm
 corpus clavorum cuspides. Metaphoricæ huius locutio-
 nis magister est Sapiens Architectus Ambrosius, qui
 passiones perturbationesque animi clavos nuncupavit.

(a) Arist. 5. Polit. Cic. 4. Tusc. Lucian. (b) S. Amb. de
 bono mort. cap. 5.

Nam postquam libro de bono mortis superius indicato dixisset in amore Clavum esse, subiungit: *Clavus est libido, clavus tristitia, clavus iracundia: clavi sunt omnes passionēs, quæ velut veru quoddam animam nostram penetrant, & insigunt cor- pori.* Pulchra dignaque Ambrosio comparatio, quam tibi (a) iterat: nos illud inde sumimus, cum virtutum exercitatione vitia passionēs vitiosæ pellantur, rectè di- ci virtutis studiosum Clavo clavum extundere.

Quod si finis Clavorum examinetur, estis præcipuus, qui effectus etiam ultimatus dici potest, coniunctio, copulatio, arctissima unio: Clavis coniunguntur asseres, & firmissimè nectuntur. Idem facit Virtus, quæ bonos inter se coniungit, voluntatem rationi copulat, & quod maximè necessarium in Architectonicâ Christianâ, ad constituendam Domum Sapientiæ, animam, totumque hominem connectit Deo & configendo unit. An non magna est Virtutum & Clavorum analogia?

(c) Lib. 3. de Virg.

ARTICVLVS IV.

CLAVI

Bona Proposita, Desideria, Vota.

Hæc quoque faciunt, quod clavorum est, ut quid-
piam in anima figatur, & in ea vel immobiliter, vel
firmiter hæreat. Tibi vivendum est secundum Christi
regem, sobriè, & iustè, & piè, vis ut non elabatur ex
mente sic vivendi studium, infige illud ferventi deside-
rio, imprime acuto deliberatæ voluntatis proposito, fir-
ma constanti animi decreto: hærebit firmiter: vis ut e-
am immobiliter? adijunge *Votum*: quod facit, ut ne qui-
dem

dem extrahi possit, quod sic est infixum : per Votum omnium avulsionis separationisque potestas, etiam si maxime velles, auferitur. Ut haud incongruè Votum comparetur acutissimo Clavo, cuius cuspis postquam duo coniunxit, obliquatur, ut extractionem, & consequenter dislocationem eorum quæ copulaverat, nulla ratione patiatur. Hinc frequens est apud Magistros vita spiritualis, ut virtutum, ita votorum cum Clavis cuspidatis, obliquatis-ve comparatio. Eam in centuriis de CHRISTO CRUCIFIXO HONORATO, eiusque Amatore sæpenumero expressimus. Titulos hic ponere lubet quoniam declarant, quomodo Amator Crucifixi, tanquam Architectus Christianus Clavus istis symbolicè peritè utatur. I. In Cruce Pœnitentiæ tribus spiritualibus Clavis configitur. *Primus* est Odium peccati, quo dextera manus. *Secundus*, Patientia, quo sinistra. *Tertius* Humilitas, quo pedes configuntur. Clavum, Odii peccati infigit Amor DEI super omnia dilecti. Clavum Patientiæ, Consideratio supplicii gehennalis. Clavum Humilitatis, contemptus iactantiæ ac vanitatis mundanae. *Centuria* 1. *Num.* 57. II. In Cruce, quæ est vita religiosa, tribus votorum Clavis configitur. Clavi sunt, 1. *Votiva Pauperas.* 2. *Castitas.* 3. *Obedientia.* *Centuria*

Num. 58. III. Crucifigitur Clavis cum Christo, corporaliter quidem affectu. *Spiritualiter verè effectū.* *Centuria*

1. *Num.* 52.

(***)

ARTI-

ARTICULUS V.

CLAVUS

*Recordatio Clavorum, quibus Christus Cruci affixus. Crux
Christe. Meditatio Passionis, & signatè,
Crucifixionis Dominica.*

HÆc omnia latent in precatiunculae illius Davidicae, *Confige timore tuo carnes meas*, prima vocula, *Confige*. Siquidem confixio per Clavos, quam Græcum *αὐτὴν ἁρσόν* involuit, indicat Clavos Crucis Christi, & Crucifixionem ipsam, cuius meditatio & imitatio carnes nostras configit, ut observat insignis Psalmorum Interpretes, qui sic ferè de ea differit (a) Consideranti Crucifixionem Domini non potest non observare illud (b) *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Istud quoque, quod terribilis cum signo Crucis, & fixuris Clavorum Iudex apparebit, qui tam horribiles & infames cruciatus tolerare dignatus est. Videbunt (c) tunc inælicissimi prævaricatores (d) *in quem transfixerunt*: (e) & qui eum *perpugerunt*. (f) Thomas Apostolus, ut vidit *fixuras Clavorum & locum*, confixus est, inquit S. Ambrosius, (g) ac præ summo quodam timore, sed casto & reverentiali prorupit in eas voces, *Dominus meus & Deus meus*. Vulnerari clavis istis oportet Sponsam, (h) & ponere, ac imprimere *Dilectum suum, sicut signaculum super cor, brachiumq; quia fortis est, ut mors dilectio; dura, sicut infernus amulatio* (i) *Deiq; sermo*

(a) Joan. Lorin. Psal. cxviii. ver. 120. (b) Luc. xxiii. 31.

(c) Matt. xxiv. (d) Matt. xx. iv. (e) Zachar. xii. 10. (f) Joan. ix. 37. (g) Apoc. i. 7. (h) Joan. xx. 5, Ambr. ibid. (i) Can. v.

(k) Can. vii.

sermo penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ, & spiritus, compagum quoque & medullarum. (b) Durum est, contra stimulos tales calcitrare, & contra verba Auctoris Sapentiæ, Pastorisque unius, ac supremi Pastorum Principis, quæ sunt sicut stimuli & quasi Clavi in altum defixi, (c) ut inquit Ecclesiastes. Baculum Pastor armatum stimulo gerens, & quasi clavo revocat lasciviens pecus in viam & caulam. An - non talis Christus Cruce instructus, quæ est baculus, pedum, Clavus?

CERTE, S. Leo Papa Sermone de Passione XIX. hortatur, ut cum quispiam observantiæ limitem se sentit excedere & in id cupiditates suas tendere, quod eum à recto itinere faciat declinare, recurat ad CRUCEM Dominicam ac LIGNO VITÆ motus noxiæ voluntatis affligat, & voce prophetica ad Dominum clamet, dicatque *Confige Clavis timoris tui carnes meas: à iudiciis enim tuis tremui.* Tum subdit S. Pontifex. Quid autem est clavis Timoris Dei carnes habere confixas, nisi corporeos sensus ab illecebriâ illiciti desiderii sub metu divini contineri Iudicii, qui resistit peccato, & concupiscentias, ne quid mortuum dignum operemur, interficit, audeat, cum Apostolo dicere: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri Jesu Christi.* i. ad Galatas VI. Tractat egregie de toto hoc genere Clavorum, quibus caro nostra, & cupiditates carnales configuntur, quibus Crucifigimur nos mundo & mundus nobis, & quibus crucifigimus nos carnes nostrâ cum vitiis & concupiscentiis Joannes Cassianus in Institutum monasticorum c. 34. & docet quod Abrenuntiatio & mortificatio nihil sit aliud, quam imago Crucifigendi debereque illum qui abrenunciare vult & mortificare, considerare conditiones CRUCIS, & CRUCIFIXI CHRISTI qui jam in ipso vivit. Addit deinde, quod affigere de

(a) Hebræ. IV. 12. (b) Act. IX. (c) Ecc. XII. 11.

more Domini, aut configere carnes, sit idem, quod
 vniversas voluntates, ac desideria; ut non nostræ concu-
 piscentiæ seruiant, sed mortificationi eius habeantur af-
 fixa. Adhæc, declarat tropologicè conditiones Cruci-
 fixi; ut voluntates ac desideria, non secundum id, quod
 nobis suave est, ac delectat ad præsens, sed secundum le-
 gem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicemus:
 non iam præsentia contemplemur, nec de nostris affe-
 ctionibus cogitemus, & pro die crastino sollicitudine,
 curaque distentamur; nulla possidendi concupiscentia
 permoveamur, nulla contentiõne, nulla æmulatione
 succendamur: non de præsentibus doleamus injuriis,
 non præteritarum jam recordemur: nos cum adhuc spi-
 ramus in corpore, cunctis elementis credamus esse de-
 functos, illuc præmittentes nostri cordis intuitum, quo
 nos non dubitamus illicò transituros: tandem, per Ti-
 morem ac imitationem Domini CRUCIFIXI, non so-
 lum carnalibus vitiis, verùm etiam ipsis elementis mor-
 tui simus, illuc habentes oculos animæ nostræ defixos,
 quò nos sperare debemus momentis singulis migratu-
 ros, Ira ferè Cassianus. Sed plura ad hanc Crucifixio-
 nem Spiritualem, per Clavos metaphoricos Spectantia
 applicavimus, in decem centuriis de CHRISTO CRUCI-
 FIXO HONORATO, Amatori Crucifixi. Titulos aliquot
 hic apponamus. I. Amator Crucifixi nec vivus est, nec
 mortuus. Immò, & vivus, & mortuus. *Centuria 1. Num.*
55. II. Instar Crucifixi, non movet membra pro libitu.
Centuria 1. Num. 54. III. Est Crucifixus bifariam, Inte-
 rius, & Exterius. *Centuria 1. Num. 59.* IV. Degit, instar
 Crucifixi, neque in cælo, & in terrâ. Et in cælo, & in
 terrâ: existens utrobique. *Centuria 1. Num. 53.* Hæc &
 similia consequitur Amator CRUCIFIXI continuâ re-
 cordatione ac intuitu Cristi in Cruce clavis transfixi,

Quinta Pars.

Q q

maxi-

maximè, si accedat votum. Hic recordanti & contem-
planti est plusquam adamantinus clavus: plus quam pi-
eta sæva necessitas (a)

Clavos trabales, & cuneos manu

Gestans athena — (b)

plusquam athenæus Clavus ferreus-ve, (c) quem solenni
ritu apud Romanos vel Consul, vel Dictator, vel Prae-
tor figere solebat in postico pariete templi Minervæ Ca-
pitolini contra pestilentiam. Validior est Clavus Clavi-
ti in Cruce Domini conspectus.

EXEMPLUM hujus efficaciam vix credibilis refertur in
Prato spirituali (d) Cùm Stephanum Presbyterum car-
nibus vesci, licet sub mortem, & ut medico pareret, fra-
ter ipsius secularis, vir alioqui pius, hoc non attendens
offenderetur, vidit in extasi, & audivit reprehenden-
tem, quod scandalizatus esset, nesciens obedientiam ne-
cessitateque adactum fratrem carnes comedisse. Quod
si, aiebat idem ille merita & gloriam fratris tui videre
cupis, retro te converte, & vide. Conversus autem vi-
dit fratrem suum CRUCIFIXUM cum Domino. Quod
consequutus erat, quia, ut ipse de se testabatur; die no-
ctuque nihil aliud aspexerat, nisi Dominum nostrum
JESUM CHRISTUM Clavis in Cruce confixum, & in-
gno pendentem. Tantùm ad imitationem valet solus
aspectus. O Clavum validissimum! omnibus aureo
Templi Salomonici Clavis præferendum; & Lato-cla-
vo apud Romanos tantoperè ambito magis æstimand-
um. Studendum nobis omnibus, ut eo Clavo Christo
confixi sumus CRUCI, cum paulo: (e) ut eo Clavo sem-
per adhærescat Deo anima nostra: ut eodem CRUCIFIXO
nostro uniti, ac conformati, *vivamus nos, non ut jam nos,
sed vivat Christus in nobis.* (f)

SERMO

(a) Hor. 3. car. ode 29. (b) 1. Car. ode 35. (c) Pieri. lib. 48. Alex.
ab Alex. lib. 1. cap. 6. Tiraquel. lign. lib. 7. deca. 2. lib. 8. & 9. (d) Prato
Spir. cap. 45. (e) Ad Galat. 2. 16. (f) Ad Galat. 6. 20.



SERMO XI.

MALLEVS

Architecti Christiani

ARTICVLVS I.

EXERCITIUM VIRTVTVM.



VT Clavos infigat Artifex aliud postulat instrumentum, quod dicitur MALLEUS; vel quod res duras molliat, quasi *Mollens*; vel, quod, quæ dura sunt, molliantur ad ignem, ut malleis flagellentur. Malleo autem utitur Architectus ut Clavi adigantur, & firmentur: quod non minus est necessarium in Architecturâ sacrâ nostrâ, quam in vulgari. In illâ sunt Clavi, Virtutes, bona proposita, meditationes piæ, vota; qui ne excidant fortiter imprimi debent, & profundè infigi. Quod fit exercitio, & actuum frequentatione. Itaque hæc apud Architectum Christianum sunt Mallei, quibus peritè utendum est. Frequentatis actibus fit habitus, inquiunt Philosophi: id est, in nostrâ disciplinâ, Clavus virtutis, qui antea vix superficiem penetrabat, & facillimè manus unius apprehensione poterat extrahi, repetitione operationum eiusdem virtutis intima penetrat, & firmissimè infigitur. Est quoque necessarium uti Malleo, ne clavi sponte excidant, quod fieri solet temporis decursu, quando in edificio asseres trabesque siccantur: tunc enim dilatatis

Qq a

fora-

foraminibus ultro cadunt; quod ne fiat, percussione Mallei profundius immittuntur; aut si factum, in locum iterum suum defiguntur. Nihil est homini voluntate mutabilius, quæ in continuo est motu, ideoque ambulatoria dicitur: hæc levi de causa nonnunquam, sive dolore clavorum, sive carnis fragilitate, sive tepiditate spiritus, sive amore libertatis, sive persuasione Cacodæmonis, sive pravorum exemplo inducta, virtutum, votorumque clavos ejicere nititur, si non effectu, abiurando; saltem affectu, aliquatenus pœnitendo. Hic advigilet oportet Architectus Christianus, qui Votorum restauratione, & virtutum exercitio, tanquam Malleo arrepto, clavos iterum iterumque infigat; & tam firmiter, ut impossibile deinde existimet clavorum evulsionem, aut votorum violationem, & mandatorum divinorum voluntariam transgressionem. Hac persuasione firmatus in optimo proposito castitatis colendæ, quam pro ea ætate se voto roboraverat Joseph Patriarcha, cum à procaci muliercula ad flagitium incitaretur dicebat animosè Genes. xxxix. *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in DEUM meum?*

Hic mihi in mentem venit Heroïna Jabel, quæ quotiescumque erit sermo de Clavis & Malleo Artificis Christiani, celebrari deberet. De eâ dicit Scriptura Judic. iv. *Tulit Jabel Clavum, assumens pariter & Malleum, & ingressa absconditè, & cum silentio, posuit supra tempus capituli ejus clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum, usque ad terram, qui soporem morti consocians, defecit, & mortuus est.* De eadem eleganter in epinicio poëtico Debbora Prophetissa Judic. v. *Benedicta inter mulieres Jabel: sinistram manum misit ad Clavum & dexteram ad fabrorum Malleos, percussitque Sisaram in capite vulneri locum, & tempus valide perforans.*

Inter

Inter pedes eius ruit: defecit, & mortuus est. Si lubet confectari allegoriam moralem instituto nostro accommodatam, in Historia, re &è dixeris; Sisaræ caput denotare Vitium aliquod capitale; Clavum, Virtutem illi oppositam, maximè, si sit voto firmata, aut, ut loqueretur fortasse Paulus Apostolus, radicata: nam ad Ephes. 3. 17. requirit *radicationem & foundationem in charitate*: denique Jahaem designare Architecturæ sacræ studiosum Clavo & Malleo instructum, id est, Virtute & voto, ac utriusque frequenti exercitatione.

CLAVUM tamen etiam alium, Malleumque hic contemplantur in Jahaem manibus. Et quidem controverti video inter Codicis divini expositores, Clavus iste ferreus ne fuerit, an ligneus: Ferreus ad penetrandum tempus Sisaræ aptissimus erat, nam acutior est ligneo: aliqui tamen existimant, fuisse ligneum, ut expressius representaret CRUCEM CHRISTI quæ fuit ex ligno. Qui volunt fuisse ferreum, addunt, fuisse typum, immò ideam clavorum ferreorum, quibus Christus fixus in Cruce, in eadem confixit Sisaram, id est, Diabolum, Ducem exercitus Tartarei populum DEI persequentis, ut Origenes differit: nam vires ei omnes ademit quod idem fuit, ac peremisse. Magis universè Rupertus Abbas in Cap. 7. Judic. PASSIONEM Domini, ut Clavum concipit, & adjungit illi respondentem Malleum Clavus, inquit, *Tabernaculi ipsum est Stigma Passionis Christi.* Clavum tulit, quæ jussa mortificare membra sua super terram, Crucem suam bajulavit, crucifigens carnem suam cum vitiis & concupiscentiis. Hoc tunc valide fit, quando non pro vanitate humana laudis, sed pro gloria DEI assumitur afflictio carnis: non, inquam, in ambitione auræ popularis sed in Timore Domini. Idcirco Psalmista postulat: *Confige Timore tuo carnes meas*, Psalmo cxviii. Itaque sensu Ruperti, CLAVUS pro Architecto

Qq 3

Christia.

Christiano, est afflictio carnis, mortificatio, pœnitentia, quam suadet Passio Dominica: **MALLEUS** est Gloria DEI, & quem adjungo, Imitatio Christi patientis. Hic *Malleus*, & non Vanitas, non ambitio auræ popularis, non æmulatio invida, infigere debet desiderium austeritatis, abstinentiæ jejunii, humi-cubationis, peregrinationis, castigationis corporis, & quæ sunt generis aliorum externorum cruciatuum. Soli DEO immortalis, & pro nobis mortuo Domino **CRUCIFIXO** sit Honor, & Gloria. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram:* ad Coloss. 3. 5. affligite corpus, portate vestem cilicium, cingite lumbos catenâ ferreâ, ambulate nudipedes, sacco vos involvite, flagellis dorsum stellatis, ut sanguinis rivi fluant, cædite, Crucē humeris trabalē injicite, & per terram saxosâ viâ trahite; in spinas nudi prorepite, & vos versate; infinita alia austeritatum genera, ad quæ excogitanda ingeniosus est amor, & ad perferenda est fortis Amator **CRUCIFIXI** adsumite. Sed quæ vos, non impellat adhæc vanitas. At, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in in calis est.* Matth. v. **Ipsi Soli** sit Honor & Gloria.

VIDE, quæ dixi in *Centuriis de Crucifixo honorato.* Centuria 2. num. 35. *Amator Crucifixi adhibet Crucem, ut Iahel Clavum, ad Sisaram populi DEI hostem capitalem, nempe; Peccatum & Cacodæmonem interimendum.* Consule etiam *Opus de Militiâ Christianâ in cuius Tomo II. lib. 4. Comm 7. Memb. 2. & lib. 5. Comm. 4. Memb. 7. differitur ex professo de Clavo & Malleo Iahelis.*

(* *)

ARTI-

ARTICULUS II.

USUS MALLET ARCHITECTONICI.

Exerce te ipsum ad Pietatem. I. ad Timoth. IV. 7.

CUM Clavus in Architecturâ Christianâ sit Virtus
 quælibet, & Malleus, actionum cuiuslibet, Virtu-
 tis frequentatio, monent vitæ spiritualis Magistri, ope-
 rationem virtutis crebrò iterari debere, quod sin-
 gulis repetitionibus, veluti ictibus Mallet peni-
 tius infigantur. Quamvis autem operationes omnes,
 dum repetuntur sint tanquam Malleus virtutem magis,
 magisque infigens & consequenter firmans; illæ tamen,
 quæ sunt ferventiores instrumentum istud magis expri-
 munt, siquidem Virtus iis magis imprimitur & augetur.
 Est quidem verum, omnibus operationibus Caritatis
 repetitis & cõtinuatis, hominem mereri Caritatis aug-
 mentum: sed si probanda est S. Thomæ sententia, 22. q.
 24. art. 6. ad 1, non statim incrementum accipit ita ope-
 rans, sed quando conatur ad huiusmodi augmentum:
 & ut graves quidam Scholastici opinantur, cum in fer-
 ventiore aliquem prorumpit, accesseritque actus ve-
 hementior; quò plus efficitur, quàm multiplicatis lan-
 guidioribus plurimis: Sicut ictu uno validissimo magis
 infigitur clavus, quàm iteratis aliquot levibus percussio-
 nibus. Actus illi, si sint intensissimi, & velut octo gra-
 dum, vocantur Heroici, quorum vis ad ingeneran-
 dum habitum, & radicandam in anima virtutem est ef-
 ficacissima, & plus ad id valet unus, quàm deni, viceni,
 immò cateni remissiores. Quapropter conatus est ad-

Qq 4

hi-

hibendus frequenter, ut eliciantur actus perfectissimi, incumbendum est semper operationibus vehementioribus, opera jugiter danda virtutum functionibus heroicis: Malleo diligentiae clavus virtutis fortiter, ita tamen, ut prudentiae Christianae, & discretionis, illud clamantis, *tunde, tunde*, habeatur ratio, nec vires opprimantur. Unde suadent perfectionis amantes, ne vquam virtutis studiosus remissiores actiones ex industria exercent, nisi forte aliarum rerum occupationibus necessariis ita sit districtus distractusque, ut nullam temporis partem cogitandis aliis, & viribus intendendis dare possit.

Hæc, & quæ huc spectant plura, continentur in exhortatione Apostoli, qui erudiens dilectissimum discipulum suum Timotheum hoc ei inculcabat: *Exerce te ipsum ad pietatem*. Quo imprimis præcipiebat actiones virtutum: deinde actionum frequentationem, quam per Exercitium intelligit: denique, conatum, vehementiam; & intensionem actionibus conjunctam, quam secum adfert verbi, *Exerce*, energia, & objectum Exercitii, quod est Pietas, quæ exigit in homine sibi dedito, præter amorem, fervorem quoque & ingens illam perfectæ consequendi desiderium, & in omnibus ad ipsam pertinentibus alacritatem, qua ad intensissimos actus exercitatur. *Exerce te ipsum*, inquit, *ad Pietatem*, id est, circa pietatem, in functionibus pietatis, in arena, aut stadio Pietatis, ad pietatem Christianam, solidam, perfectam, consummatam obtinendam, tibi que infigendam: hoc quilibet sibi dictum existimet. Quod Latinus interpretes vertit, *Exerce*, Græcè est *γυμνάσις*; id est, exerce te athleticè, nempe, tam exactè, tam accuratè, ferventer, intensè, operationes ad Pietatem spectantes, siue internas, siue externas exequere, quàm athletæ suas

in

in stadio, ut bravium assequantur: nam & tu athleta es Christi: nihil autem remissè, nihil frigidè, nihil flaccidè in arenâ, quod officii sui est, faciunt, qui in agone contendunt athletæ. Itaque, si edas operationes fidei, spei, Caritatis, temperantiæ, prudentiæ, justitiæ, fortitudinis, humilitatis, pœnitentiæ, aliarumque virtutum, sint athleticæ, & heroicæ, ferventes, intensæ, ex toto conatu, totisque viribus: nam hic Pietas omnia ista complectitur. Quare, sensu S. Chrysoctomi, per pietatem intelligebat Apostolus, vitam secundum virtutem rectam, & mores Christianos: iudicio S. Ambrosii, misericordiam & beneficentiam in proximum: Hæc enim Græcè, *ἐπιβουλία*, Latinè Pietas interdum vocatur, ex Aug. lib. x. de Civi. Cap. i. eo quod Deus opera misericordiæ præcipiat, & se iis coli præ sacrificiis significet: interpretatione antiquorum Anachoretarum, Nili, Maximi, Philothei, Dei contemplationem, & abstractionem à rerum corporearum sensu: denique secundum communem intellectum, opera ad Dei Cultum præcipuè Spectantia quæ devotionis à quibusdam dicuntur, ut sunt oratio, meditatio, adoratio, cantus, sacrificatio, & alia ad virtutem religionis Spectantia.

QUI CUMQUE igitur vult esse Ædificator Domus Sapientiæ, accipiat in manibus, id est, activis suis potentiis, quales sunt, intellectus & voluntas, Malleum ac Clavos: *Malleum Exercitationis, Clavos virtutum*. Exerceat se ad sobrietatem, demissionem, modestiam, castitatem, & quæ omnes complectitur, ad omnia utilis, *Pietatem*: infigat hanc frequentatione actuum heroicorum firmiter: animam autem eodem clavo connectat Sapientiæ irrevocabiliter & inseparabiliter; nunquam ociosus, ne audiat ut multi, cum sarcasmo: *Quid statis hic totâ die ociosi? At Domine, quò ibimus? quò! ad vineam Crucifixi. Ad*

Qq 5

Cru-

Crucem, ad Crucem D. N. JESU CHRISTI in quo est
Salus, Vita, & resurrectio nostra. Per quem salvati & li-
berati sumus.

ARTICULUS III.

MALLEI

Quotum non est ullus usus, dum ædificatur Domus
Sapientiæ. Virtutum Fabrica. Pietatis
Ædes.

*Malleus & Securis, & omne ferramentum non sunt audita in
Domo, cùm adificaretur. Lib. II. Reg. vi. 7.*

MIRARI quispiam posset, quod in suppellectile
Architecti Christiani numeremus Malleum, &
& ad ejus tractationem horremur Ædificatores
Domus Sapientiæ, cum constet in ædificatione Templi
Salomonici, quod fuit typus Ædificii Spiritualis ex vir-
tutibus, & est verum Templum Divinitatis, ac Domus
Sapientiæ, non fuerit auditus strepitus, nec mallei per-
cussio, quæ non fit absque strepitu, Clarissima sunt illa
ex Regum sacra historia. *Domus*, (sive Templum) *cum æ-
dificaretur, de lapidibus dolatis atque imperfectis* (siquidem jam
dolati & perfecti erant in monte Libani, aut alibi, ante
quam in Sion ad fabricam Templi adducerentur) *ædifi-
cata est: & (sive, idcirco) malleus & securis, & omne ferru-
mentum non sunt audita in Domo, cùm adificaretur.* Nimirum
opus non erat malleo, securi, aut alio instrumento fer-
reo ad illos aptandos, vel jungendos, nam perfecti
erant quadrati: quare calcem tantum adhibebant ope-
rarii, ut cohærent, Rabbinicum est commentum

Malle-

Malleum non fuisse auditum in ædificatone Templi, eo quod Latomi sanguine vermiculi, quem Ianni vocabant, lapides secuerint. Nec reor, quod scripserunt Procopius & Glycas, omnes lapides, DEO ita disponente, sic fuisse in montibus natos, vel excisos, ut ferro ad copulationem haud egerent. Probabilissimum est, quod Lyranus, Abulensis, & ex iis recentiores docent, (a) ac paulò ante insinuavimus, fuisse in monte sectos, dolatosque lapides: ad quid ergo Malleus? cujus strepitum noluisse audiri etiam ob reverentiam Templi illius ædificatores suspicari possis; ac, ne Salomonis & aliorum Fabricam spectantium aures strepitu Malleatorum, & ferratorum offenderentur.

HÆC si ædificationi Domus Sapientiae, quæ ex Virtutibus, tanquam lapidibus constat, accommodemus, dicere possumus, in ejus ædificatione, nullum esse usum malleorum, quæ strepitum edunt, & aures vulnerant, ut mallei ferrei; quamvis ejus Ædificatores malleis utantur iis, quos hæcenus explicavimus, & sunt virtutum functiones, quæ placidissimè, modestissimeque absque ullo sono molestiam adstantibus spectantibus-ve creante, opus suum peragunt. Qui autem sunt illi mallei, quibus percussione per strepitibus, Regis Pacifici aures offenduntur, nec ad Architecti Christiani suppellectilem pertinent? Aliquos istiusmodi nominat Divina Scriptura Et imprimis, Sunt MALLEI, de quibus Sapiens Proverbiorum XIX. 29. *Parati sunt Mallei percutientes stultorum corporibus.* Stultorum, id est, criminosorum, vel impiorum, ut exponit Dionysius, addens, quibus etiam in hac vita pro diversis flagitiis, varia & amara insignuntur tormenta, ut flagellationes, mutilationes, suspendia, rotationes ac similia genera mortis. Infernalibus quoque supplicia impenitentibus: quemadmodum in Apocalypsi dicitur; *Timidis, & incredulis, & execra-*

execra-

execratis, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure. Beda quoque ad supplicia gehennæ respiciens, *Reprobi*, inquit, *iustitiam*, vel *comminationis divinae iudicium derident*, parata tamen eos expectant iudicia damnationis, quæ, ut *Mallei ferrum candens*, ita eos in fornace gehennæ, sine fine verberant. Videre est, in Ardena aliisque locis, ubi officinæ sunt malleatorum, ingentes, Malleos ferreos, molis aquarilibus elevari, quibus ferrum candens tunditur, qui horrorem intuentibus incutiunt. Ex quibus Malleos gehennæ, quibus in incude ignita tunduntur reprobi, facile est imaginari. quod fecisse se testatur Vir doctus ac pius, Proverbiorum interpret. (a) Non est etiam absurdum, opinari, per *Malleos percutientes*, alludi ad crucifragium, quod iis, qui in crucem agebantur, crudeliter inferebatur: hoc enim malleis peractum olim, est verisimile (b) ut sensus sit *Mallei percutientes stultorum corporibus*, aut, ut est in Hebræo, *confractioes*, vel *confusiones*, hoc est, crux infamis, & crudele crucifragium manet stultorum iudiciorum divinorum irrisores, aut magis uniuersè, impios, certè, ijs debetur. Horum Malleorum strepitus non auditur, dum ædificatur Domus Sapientiæ, cum ad eius ædificationem non admittatur vllus stultus, impius, iudiciorum divinorum irrisor, & Iustitiæ contemptor.

MALLEI alterius est mentio celebris apud Ieremiam Prophetam, qui ita intonat, sive per admirationem, sive per irrisionem cap. 50. *Quomodo confractus est, & contritus Malleus uniuersæ terræ? Quomodo versa est in desertum Babylon in Gentibus?* Vocatur hic Babylon, aut potius eius Rex Nabuchodonosor *Malleus*, quia tanquam *Malleus adamantinus percusserat, & contuderat totam terram*

(a) Corn. à Lap. Prou. XIX. (b) Salazar Prou. XIX.

ram, ita ut nihil, quantumvis durum & æneum ei resistere posset, aut eius ictum sustinere, quin confringeretur, ac diffiliret. Quo intuitu arrogantius quam feliciter Fridericus II, Imperator iactabat se esse Malleum Romæ, & Romanæ Ecclesiæ, immò Orbis terrarum univèrsi. Quocirca *Malleus Babylonicus* symbolicè est superbia, arrogantia, iactantia, sui æstimatio, aliorum despectus, Tyrannis. Hujus etiam Mallei sonus non auditur in ædificatione Domus Sapientiæ, ad quam conueniunt soli humiles, modesti, suorum non auari detentores, alienorùm nequaquam auidi raptores, sed benefactores vniuersæ terræ.

S. Augustino tract. de honest. mulier. Malleus Babylonicus, olim dominans, & conterens totam terram, nempe, omnes homines est Luxuria. Et quamuis, ut scribit, post aduentum Christi. per vniuersa monasteria monachorum, & per clericos, vel etiam laicos castitatem seruantes, quasi contritus Malleus ille videatur; tamen adhuc multo plures sunt, qui ab illo Malleo quotidie confringuntur, quàm illi, qui de collisionis illius ruina liberantur. Neque huius Mallei strepitus percipitur in ædificatione Domus Sapientiæ, cum nullus sit ad Ædificium istud construendum idoneus, qui non sit mundus, purus, pudicus, & si non virgo, certè virgineus. Abest quoque ab eadem Domo, dum ædificatur, strepitus Mallei Babylonici, quatenus est superflua Cura rerum temporalium, ut illum exponit (a) S. Paulinus: nam omnibus eius ædificatoribus dictum est: (b) *Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Ex ijs multi sunt paupertatis externæ amantes non admittuntur in numerum ædificantium nisi pauperes Spiritu. Quod si quidam non renunciant omnibus quæ possident, ijdem
tamen

(a) S. Paul. in. epist. 12. (b) Matt. V. 33.

tamen dicunt cum Salomone: (a) *Mendicitatem & ditias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria.* Quoniam experiētiā docti sunt, quod sit *quæstus magnus, Pietas cum sufficientia.* Idcirco, habentes, inquit, *alimenta, & quibus regamur, contenti sumus.*

MULTO minus in ædificatione Domus Sapientiæ auditur Malleus Babylonicus, quatenus designat Diabolum, ut commentatur S. Gregorius. lib. xxxiv. Moral. cap. 10. Nam qui illo utuntur, sunt Ædificatores Domus insipientiæ, fundatores turris Babel. confusio muratores, & latomi spelunçæ latronum, quibus non est Societas cum Templi Dei structoribus, qui omnibus virtutibus sunt Angelici, nullus virijs Diabolicus. Atque ita intelligere potestis, quorum Malleorum usus in Architectonica Christianâ, quiq̃ue planè in eâ locum nullum habeant: illud quoque, quod inter Templi Salomonici Admiranda refertur: *Cum ædificaretur, Malleus non est auditus in eo*, aliquatenus conuenire ædificationi Domus Sapientiæ.

(a) Prouer. xxx. 8. (b) 1. ad Timot. 3. vi. 6.



S E R M O XII.

GLVTINVM

Architecti Christiani.

PRÆFATIUNCULA,

Quamuis Templum DEI lapideum, quod erat figura Domus Sapientiæ, exstrueretur ex lapidibus dolatis, & perfectè dispositis

dispositis ad copulationem cum alijs, ut nec malleo, nec securi, nec ferro opus fuerit, ad melius aptandos, tamen ad firmitatem iuncturae necessarium erat adhibere materiam intermediam, qua copularentur, ac firmiter cohererent. Haec communiter solet esse Calx, vel vda, vel harenato lita, vel alio modo intrita, ut esse possit ferrumen camentorum, vnde & camentum vocetur, quamuis hoc propriè sit lapis rudis, nondum casus. Omnem talem materiam Glutino designo, licet hoc specificè sumptum ad collam constringatur, sed nos Gluten vel Glutinum latius sumimus. Qua acceptione dictum reperio, aedificatores Templi, (a) Salomonice caele lapides inter se conglutinasse.

QVIS autem sit optimus usus Glutini apud Aedificatores, Domus Sapientiae, docui olim Auditores meos, quos in Philosophiâ Aristotelica triennio erudieram, cum ijs, absoluto Philosophiae curriculo, valedicerem, (b) hoc relicto Memoriali, vt Quilibet, si optime sibi consultum vellet, DEO Sapientiae Domino arctissime agglutinaretur. Quod ultima apud ipsos praelectione factum. Quamvis huc transferam, reor fore aliquod operae pretium, & ad huius materiae explicationem accommodatum aequè ac fructuosum.

(a) Cornel. lib. 3. Reg. 6.7. (b) Anno. M D C VII. Pauli V. tercio. Herbipoli in Franconia,

ARTICULUS I.

Ingressus in rem.

MNEMOSYNON MAGISTRI VALEDICENTIS.

BONUM habetote animum, Discipuli mihi percar.


In manibus terra non hic vos carmine longo,

Atque per ambages, & longa exorsa tenebo

Faciam hodie, quod peregrè abeuntes solent,

solent, qui familiaribus, & domesticis vno alteroue verbo symbolum amoris relinquunt, faciam, quod parentes amantissimi, qui discedentibus filiis præceptorum suorum iliadem vnus sententiolæ nucleo includunt; faciam quod Principes, qui proficiscentibus ad legationem fidei consiliarijs suis, multiplicia mandata vnus nominis sui signo in chartâ virgine exprimunt; faciam quod mercatores industrij & trapezitæ numularij qui, ut loquuntur, in summam summarum paucis redigunt rationes pecuniarias, multis numerorum cifris Arabicis expressas; denique faciam, quod morituri, qui testamentum condunt, & voluntatis vltimæ epitomen, ac legata quam plurima brevissimè in codicillo ponunt. Itaque, non nisi tribus verbis, amoris erga vos mei tesseram, mandatorum meorum volumen, denique, voluntatis extremæ decreta multiplicia exprimam, GLUTINO BONUM EST. Dicam hoc paullo clarius. PERVENIMUS hodie ad metam, non tam Curiosus Philosophici, qui metam non habet, cum vel in orbem eat gyro continuo, vel immensum extensus sit absque termino, quàm Prælectionum nostrarum, quibus, & nisi eundem apponerem epilogum, quo Philosophiam suam signavit Aristoteles, parum viderer, alijs fortasse facere Peripatericè; &, nisi ad hanc Metam, tanquam ad Rupem inconcussam immobilemque vos agglutinarè, ut tuti sitis, inter tot maris turbulentissimis alternis æstibus reciprocantes fluctus, qui hinc abeuntibus imminet, parum mihi viderer facere

Christianè, ac minus, quàm parum
Religiosè. Hoc igitur
agamus.



ARTI-

ARTICULUS II.

DEUS

Vnus. Verus. Bonus.

ARISTOTELES postquam variis locis diuini sui Operis multa disputasset subtiliter de Ente, multa acutè differuisset, de eius communibus affectionibus, denique multa attulisset præclarè in particulari de VNÒ, VERO, BONO, quæ omnia hætenus Exercitationibus Metaphysicis euentilauimus; tandem vltimo capite libri duodecimi statuit, & pulcherrimis rationibus demonstrat, esse in vniuerso VNVM quoddam BONVM, illudque planè SVMVM & OPTIMVM, quod DEVM dicimus. Huc à Magistro suo Platone Aristoteles sæpe audiuerat: nec inueniri facile esse, & inuentum explicari difficilem. (a) Quod posterius, vt admisit sponte discipulus, ita ad illud prius nequaquã annuit: & sapienter. Nam, vt quid DEVS sit exponere difficillimum, ita ipsum esse, inuenire facilimum est. Quid enim magis in promptu, quàm eum reperire, quem ignorare non licet? Et summa delicti sit, nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt. (b) Et sanè, non magis arduum est istud, quàm ex incitatis ad certam metam, & nunquam deflectentibus quadrigis, aliquem in ijs existimare esse aurigam rectorem. Atque vt olim vna linea Praxiteli Apellem prodidit, ita non omninò caudices Mundus hic sui Auctoris ignaros abire haud patitur. Statuam aliquam, vel simile quid admirabili compositum artificio intuenti, nihil prius venit in mentem, quàm Artificem aliquem,

Quinta Pars.

R r

cogi-

(Apuleius de Dogmat. Platonis. (b) Tertull. Apol. c. 17.

cogitare, ac quærere: haud secus ex Mundi contemplatione, statim in Opificis alicuius cogitationem adsurgimus. Hic autem DEVS est, Formator rerum, qui omnia in vno mersa, & materiae inertis conuoluta discreuit, sparsa collegit, confusa distinxit, deformibus speciem diuisit, latentibus in tenebris lucem superfudit, & totam Motum istam, cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo, quo iussit, ratione, quâ disposuit, virtute, quâ potuit, de nihilo expressit, in ornamentum Maiestatis suæ, operis ipse sui Molitor & Custos.

VERVM, An sit DEVS? dupliciter cognoscere possumus: vel à Natura informati, vel à Philosophiâ instructi. Priore illa cognitione, rudi, confusâ, anticipatâ, nihil est facilius: posterior ista aliquid habet difficultatis; quia non cuique est obuium, rationes demonstratiuas construere ad id asserendum. Eæ autem ab Aristotele allatae sunt in alijs libris, in quibus per Motum, quo nihil est in summâ suâ varietate constantius, ad Eum peruenit cognoscendum, quo nihil est in inconcussa substantiæ firmitate stabilius. An propterea fortasse, Deus Anima Mundi à veteribus fuit appellatus? quod sicut ex motu animalis, animam in ipso latitatem deprehendimus; ita ex Mundi motu, ac cælorum conuersione agitator aliquis Deus esse dignoscatur. Vt enim in corpore, quod seipsum mouet, motus animam prodit, ita in Mundorum vicissitudo, motuumque conuersiones DEUM manifestant. Itaque ob hoc etiam inter alia, Aristoteles comparat Mundum animali. Et quidem tanta est consensio inter Mundum, & præcipuum animal, Hominem, ut & Mundus magnum animal, & Homo paruus Mundus sit appellatus.

His de existentiâ DEI ab Aristotele alibi explicatâ quamuis exiguum deinde sit quod de eius essentiâ &

natu-

natura possunt Philosophi investigare, investigatum deprehendere, deprehensum explicare (ut enim vestigium prætereuntis transitum solummodò prodit, ita hæc rerum Moles vestigium DEI ob id appellata, sic DEUM nobis manifestat, ut è latebris illum suis non educat: quare quid sit DEUS aliquantulum viderunt Sophi, & quasi per nubem Solis lumen) nihilominus, Aristoteles hoc ultimo capite (ringantur licet Athenienses, & cicuram illi, ut olim Socrati, misceant) DEUM Vnum esse probat, & conuincit, argumento potissimum à Mundi gubernatione ducto. *Non est bona pluralitas Principatuum. Vnus ergo Princeps esse debet in regno, unus DEUS in mundo. Felix urbs quæ iussa unius Principis audit.*

Ὁὐκ αγαθὸν πολυκοιρανίη. εἰς πόλιος ἕσω εἰς βασιλεύς.

Non multos regnare bonum.

Rex unicus esto. -----

Multorum potentia sparsa est: ideo minor; ut flumen in plures alveos, rivós-ve diductum. Omnia ab uno regi amâr: multa capita averfantur. Præclare igitur Christianus ille Philosophus Afer: (a) DEUS si non unus est, non est: *Testimonium*, (b) inquit idem alibi, *anima naturaliter Christiana*. Et sanè, ut citharam suavi modulatione ad numerum artificiosè resonantem plures non possunt simul pulsare musici, strepitum alioqui, non concentum edituri: ita nec mundi fabricam plures simul Artifices excitare, & comditam cum pari potestate gubernare. Similia habent Sapientes Gentium, & Poëtæ potissimum, (c) Homerus, Callimachus, Hesiodus, Euripides, Serinus, Ecphantus alii.

RECTE igitur Aristoteles hoc capite, textu 55. extera Gubernatione optimâ conclusit, unum esse DEUM:

R 1 2

Entia,

(a) Tertullia. 5. in Marc. cap. 2. (b) Apol. cap. 17. (c) Ioanna. Stobæus in Sermons καλλιςον μοναρχίης.

Entia, inquit, nolunt malè disponi, seu gubernari, sed optime, V num igitur principium esse necesse est. DEUS ergo unus est. Et hoc exigit nullo restricta limite immensi Numinis natura, & Majestatis arcanæ inexhausta potestas. Unius & Unitatis omnipotentiam quandam celebrant Arithmetici, tum quia principium est numerorum omnium, tum quia finis: quare debuit esse rerum omnium architectrix Unitas, Architector Unus. Simili ratiocinatione utitur Aristoteles, libro de Mundo ad Alexandrum, si is est illius, ex ordine & administratione rerum aliarum. Siquidem omnia, quorum natura, & essentia in ordine mutuo, & quadam coagmentatione consistit ad unum aliquod referre necesse est. Sic unus dux in exercitu uno: unus auriga in curru: unus præceptor & moderator in choro: unus architectus unius domus cernitur. Quod si aliter aliquando euenire posse contendas: respondebit Aristoteles, vt quondam libro Physicorum v III. vel hos duces & artifices multiplicatos materia, unitos forma, unius vicem gerere: vel certè, non ita benè singula processura. In natura autem id quod est optimum, statuendum est: & si unum Principium rerum sufficit, plura frustra ponuntur. In hunc ferè modum Aristoteles in hoc capite de re gravissimâ statuit, sed plenius certiusq; decernit Fides Christiana, cujus immensa æquora mirari licet & attingere, velle autem naturalis scientiæ decem-peda metiri, insania esset. Nunc commentarium, ut soletis, scribite, non quidem fragili calamo in papyraceo quadrato, nigra sepia tinctura, fugacibus litteris, sed stylo ferreo, in silicato corde, amoris humore, characteribus indele-

bilibus

os (o) os



ARTI-

ARTICULUS III.

MUNDUS - MARE

Aquis fallacibus & salsis plenum.

PONENDUM, ut in confesso apud omnes, Christianè,
 secundum pietatem, ex arcanâ Sapientiâ philoso-
 phantes, Mundum hunc esse, velut Mare quoddam, id
 est, congregationem aquarum, ut Mare descripsit Deus,
 Genesis 1. Id declarem, missis subtilitatibus, ex com-
 munitibus quibusdam proprietatibus, quæ Mundo æquè
 ac Mari conueniunt. Imprimis, habet omnis aqua, quod
 per eam videntibus, maiora & pulchriora, quæ oculis
 obijciuntur appareant: litteræ quamvis minutæ & ob-
 scuræ per vitream pilam aquâ plenam, ut majores, cla-
 rioresque cernuntur: poma formosiora, quàm sint vi-
 dentur, si innatant vitro: sidera ampliora per nubem as-
 picienti apparent: quia acies nostra in humido labitur,
 nec apprehendere quod vult, fideliter potest. Id mani-
 festum fiet, si poculum impleueris aquâ, & in illud con-
 jeceris anulum; nam, cùm in fundo jaceat annulus, fa-
 cies in summo aquæ redditur. Denique, quicquid vide-
 tur per aqueum humorem longè amplius vero est. Hinc
 maior redditur Solis imago, quæ in nube humida visitur:
 tum quia in nube illa est aliquid vitro speculari simile,
 quod potest perlucere, tum quia est aliquid & aquæ,
 quod fallaciam caussat.

EADEM est fallacissimi Mundi proprietas. Videntur
 in illo majora omnia, quàm revera sint: honores, divitiæ,
 voluptates, & horum appendices, quæ tanto ambitu

Rr 3 quæ-

quærentur. Ut magna habentur, occupare primum locum in subselliis, conviviis, congressibus, dominari in foro, triumphare in curia, proximum esse Principi, alligare gladium lateri, audiri, audire, monstrari digito, & dici: hic est ille Doctorum alpha, diuitum betha, Consiliarium coryphæus. O ignare rerum mundanarum! nescis, nihil te in aquâ cernere, quod non fallat oculum ludibrio: nihil aliud aquam, quam magni corporis umbram mentiri. Non est in aquâ, quantum & quale ostenditur: decipit illa aciem, & mendacio blanditur. Simulacra illa sunt, & inanis verorum corporum imitatio. Frustra tibi blandiris, dum te in littore vides: tuo te metire funiculo. Obliquat aqua faciem insipientium, & in infinitum rem objectam auget, ut humanum habitum excedat, modumque nostrorum corporum. Hoc cum cæteris aquis commune habet Mare.

Istud magis peculiare, quod eius aquæ sunt salæ, propter halitus, qui in terræ finibus inclusi, egressum moluntur, & ascendentes per aquas, amarore illas inficiunt. Nihil magis proprium est Mundo, cuius aquæ non modò sunt salæ, sed ipsa falsugo: in quo nihil dulce, quod non amaritie mixtum: in ipsa dulcedinis mundanæ medulla hæret insita acerbitas, & quidem tanta ac talis, ut nisi Sapientissimus Artifex DEUS actionibus quibusdam, quæ à mundanis appetuntur, & iuuenibus speciosæ suavesque videntur, quia experienciâ carent, condimentum aliquid addidisset, nemo reperiretur, qui iis exercenda operam impenderet, aut non statim fastidiret.

MUNDUS est MARE, Adolescentes, in quo sunt pisces, alii quidem magni, balenæ, dracones, cete, delphini, alii verò exiles, gobii, cuculi, echeneides; sunt etiam mediocres, murænæ, loligines, nulli. Sed unâ omnes in aquâ falsuginis natant, falso humore pascuntur, & saginantur.

nantur. Existimatis fortasse pusillos solùm falsâ perfundiperratis. Convenite Principes, Reges, Imperatores, convenite omnes, quibus omnia ad votum, & supra votum accidunt: quos juvat purpurâ vestiri, auro regi, cothurnatos incedere, servorum turbâ stipari, terras transferre, maria includere, flumina præcipitare, nemora suspendere, acervis auri argentiq; incubare, provinciarum nominibus agros colere, terrarum orbem unicondiademate contegere. Convenite hos, dico, & interrogate: dicent, si liberè respondere velint, se sub aquis esse amarissimasque, longè amarioribus profectò aquis *Mara*, & fontibus Iericho. Quod si veritatem fateri detrectet, inclamabit pro ipsis, & contra ipsos Spiritus veritatis, cujus illa sunt ad hanc rem planè aurea, per Patientem tanquam per Oraculum pronunciata: *Ecce Gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum iis.* Ubi per Gigantes sensu litterali, intelliguntur monstrosæ magnitudinis pisces; sensu mystico, qui Gregorio Papæ placuit, Mundi hujus magnates, potentes, superbi; qui quo magis aliorum omnium, Vt pusillorum statum, conditionemque superant, eo profundius in falsi maris undis merfi, & iis obruti, graviore curarum multiplicium mole onerantur: ideo gemunt, ut parturientes, & sub aquis ululant. Apparatur quidem illis mille condituris, quibus aviditas excitatur, ad gulam irritandam patina, ut dulcissima videatur, sed nunquam deest qui amaras in illa colocynthidas abscondat, vt exclamare cogantur, *Mors in ollâ, mors in olla. Lib. 4. Reg. 4.* Primus illis bolus saccharo suavior videtur, sed vix ad imum palati descendit, & sentiunt amaricari interiora sapore amarissimo. Dulces erant Amano Estheris Reginae epulæ: at, caue Aman: coquit tibi colocynthidas avunculus Mardocheus, aut potius per hunc Deus. Gustabis dum æmulû adorare cogeris,

& dices: te mori potius velle, quàm sic vivere: dulciorem esse mortis amarorem, amarissima vitæ dulcedine. Fluvialis aqua dulcis est, sed in eâ non nisi pusilli natitant pisces: majores si ingrediantur, nō immorantur, nisi capi velint, vel immori, sed semper ad terminum harum dulcium undarum, id est; salissimas properant.

ARTICULUS IV.

MUNDUS - MARE

Turbidum, tumultuosum, infidum, nauisfragium.

SIT indubitatum, Mundum non Mare solùm esse, sed Mare fœdis omnium Satyricorum epithetis infame, procellis ac atrocissimis tempestatibus semper obnoxium. In quo, ut cantat Psalm. ciii. purpuratus Psalmista, *ascendunt montes, & descendunt campi*: id est, ventorum vi attolluntur undæ & fluctus in montium altitudinem, deinde, sternuntur velut in camporum planitiem, & placidissima æquora. Non desunt in hoc Mari æstus perpetui, quibus, siue certis horis intumescit, siue detumescit aliis, semper tamen reciproco cursu & recurso, turbinis instar, concutitur. Spirant continuò in hoc Mari impetuosi flatus ecnephix procellarum genitores, submersionis certissimi indices: dominantur quotidie in gyrum contorti typhones, infallibilis navigantium pernicies, & interitus, qui non vela tantùm, sed ipsa etiam navigia contorta frangunt, & ubi luserunt, sorbent. Pervagantur semper in hoc archipelago concitatissimi præsteres, qui proxima quæque non prosternunt solùm, sed ambulant quoque; & ipsum hoc Mare concepto igne cupiditatum ad bullientis aquæ naturam redigunt. Maius hic pericu-

periculum est à ventis ambitionis, & turbine luxuriantis lascivix, quàm in illo fabuloso, cujus descriptio non tam est pelagi, quàm Mundi. In quo semper

Venti, velut agmine facto.

Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.

Vnà Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis,

Africus, & vastosvolvunt ad littora fluctus.

Quanta inde calamitas?

Insequitur clamorque virum, stridorque rudentum.

Eripuit subito nubes coelumque diemque

Vectorum ex oculis: ponto nox incubat atra:

Intonuere poli, & crebris nucat ignibus aether,

Presentemque viris intentant omnia mortem.

Cùm igitur MUNDUS haud paullò minoribus concutitur procellis, quàm Mare quodlibet, & magis impetuosius agitentur ventis, qui in illo, quàm qui in Mari navigant, providendum est de remedio, ne abripiantur naues, & ventis expositæ, sine retinaculo pereant.

ARTICULUS V.

DEUS - RUPES.

EXPERIENTIA nauigantium exploratum est, ut navis in mari decumanis fluctibus non rotetur, vageturque in incertum, & in syrtes, aut breuia allidat, optimum esse, si applicetur Rupi tam immotæ ac immobili, quàm fuit in illa à Poëtis decantata cautes Marpesia: nam si illi adhæserit firmissimè nulla ventorum vi diuelli poterit. RUPES autem inconcussa, & moveri nescia est DEUS. Hoc illum symbolo designat arcano loquendi modo divinus scriptor, dum ejus immobilitatem indicare in-

R r s tendit,

tendit, sed obscurius, ut Mystici solent. Quare nomen *Rupes* pro DEO frequenter ponitur in Divinis paginis, præsertim, ubi in Hebræo subest vox רֶפֶס (*Tsur*) *Tsur*, quæ aliquando DEUS, interdum *Fortis*, nonnunquam *Robustus* ab Interprete Latino vertitur: ita tamen ut multa eo nomine quasi significantur DEI attributa. Aliquando enim denotat, certum auxilium, & opem à Deo defuturam, modò quis ei fidat. Sic I. Regum secundo cap. cantabat Anna Samuelis gratiam subsidiumque experta: *Non est Sanctus, ut est Dominus: neque enim est alius extra Te. Et non est Fortis sicut Deus noster.* in Hebræo: non est *Tsur*, *Rupes*, *Saxum*, *Scopulus*. Aliàs insinuat firmitatem, ac tenacitatem propositi in DEO auxiliatore ac protectore perpetuo. Deuteronomij xxxii. DEUM in Hebr. *Rupem*, *qui te genuit, dereliquisti?* id est, qui fixus & immotus est in te amando non redamas? qui caritate perpetuâ dilexit te, hunc non diligis? Nonnunquam innuit firmam in iudicando severitatem, stabilemque sanctitatem, quæ nec prece, nec precio flectatur. Deuteronomij xxxii. DEI, Hebrææ, *Rupis perfecta sunt opera: & omne, via ejus iudicia.* Quod Leo Tygurinus vertit: *Opus Petræ illius solidum est, quoniam omnes via ejus sunt iudicium.*

NOMINE eodem utitur Baldad Suhites, unus ex amicis Jobi ad immutabilitatē DEI deprædicandam. Jobi xviii. *Quid perdis animam tuam in furore tuo? nunquid propterea derelinquetur terra, & transferentur Rupes de loco suo?* in originali est singularis numeri *Rupes*, ac si dicat, ut interpretatur, post Rabbi David, Franciscus Varablus: *Heu tu ô vir, animæ tuæ perditor, vitæ tuæ discerptor &ceptor Jobe, ac corporis tui sæve dilaniator, qui ad verum te irâ ac furore raperis, itane te adversus divinam vindictam obmurmurante, temperabit sibi à supplicio? mota RUPES DEUS, & illâ quam stabilivit fixitque; legem* in

inimpium animadvertendi nunc abrogabit? Scilicet, Deus Opt. Max. qui, velut firmissima Rupes in eo, quod semel statuit, fixus hæret, nunc unius tui causa, de sua sententia ac decreto dimovebitur, & mutabit inconcusus. Rectè igitur Deus ut RUPES. in Mari concipitur.

(a) Ioa. Pineda Job 18.

ARTICULVS VI.

DEO

Sapientie Christiani conglutinanda est Anima.

CUM quidpiam connecti & copulari possit cum alio diversimodè, in Architecturâ fieri solet arctissima conjunctio tribus potissimum nectendi retinaculis: nimirum, *Clavis, Funibus, Glutino*. Uno ex his, vel omnibus, Adolefcetes mei, vitam vestram, velut animæ cymbam, si in hoc procelloso Mari salvam velitis, quod maximè velle deberis, DEO, ut RUPES immobili connectere necesse est. Quæretis fortasse, quid ex tribus illis præferam ad arctissimam conjunctioem? Eo vos ducere habebâ in animo, & extrema hac prælectione, tanquam ultimæ voluntatis testificatione, votum meum: exprimere. Itaq; DICENDUM. *Glutino bonum est.* Hæc conclusio legitur apud Isaïam Prophetam, cap. XLI. ubi unus Artífex adhortatur alterum, ut simul animosè & alacriter pergant in fabricando, & concinnando opere, quod sub manibus habebant, utque partes ejus *Glutino* uniant, quod hoc arctissimè jungat & copulet; dicendo per modum, suadentis, læudantis, adhortantis: O socii, utamur *Glutino*, nihil eo ad conjuncturam adhæSIONEM perpetuam
utilius.

(a) Forerius, Arias, Pintus, Cornelius.

utilius. *Glutino bonum est.* LXX. legunt: *Bona est consolidatio,* nempe, per *Glutinum.* Græcè *σώμβλημα,* id est, *commissura,* aut *conflatio.* Symmachus Aquila, & Theodo. habent, *ἐν κολλησει καλὸν ἔστιν:* *Ad cōglutinationem bonum est.* Eia igitur, *Glutino* utamur, & optimè partes connectemus.

ARTICULUS VII.

GLUTINUM CARITATIS

Præfertur Clavis Timoris, & Funibus Retributionis.

GLUTINO *bonum est.* Ne cete Vos DEO Vestro, *Glutino,* copulare *Glutino,* adhærete *Glutino.* *Glutino bonum est:* melius est *Glutino* conjungi, quàm aliis superius nominatis instrumentis. Explico & propo. Funes connectunt quidem, sed non est nexus durabilis, quamvis dura sit ac fortis funium alligatio. Clavi copulant durius & fortius: sed neque hæc est adeò longi temporis: nam ut funes usu deteruntur & putrescunt tempore, ita nullum quoque violentum est perpetuum. At *Glutino bonum est:* optimus conjungendi modus est per *Glutinum,* qui constans & indissolubilis. Vidistis aliquando in domus ædificatione fabros lignarios asseres asseribus jungere, stringere funibus, compingere clavis, copulare *Glutino.* quid permanet? clavos extrahunt, funes dissolvunt, soli *Glutino* fidentes. Dicam hoc ad mores accommodatius.

SUNT, qui se DEO conjungunt, & illi alligari vel necesse desiderant, sed Clavis id faciunt: Timore pœnam reformidant, damnari timent, judicium & justitiam sibi ob oculos ponunt: ideò Divina mandata servant, non famulaturi fortasse, nisi rictum illum draconis metuerent,

nisi

nisi plagas vererentur, nisi æternum væ à domestico suo Pædagogo continenter audirent. O plebeia pectora! Non est quidem malus Timor, etiam ille, qui ex cogitatione Judicii divini oritur, & ex pœnarum infernalium consideratione: immò bonus est & DEI donum: *Time*te, (a) inquit Salvator, *eum, qui postquam occiderit, poterit corpus & animam mittere in gehennam. Confige timore tuo carnes meas,* orabat DEO carus Rex: *à judiciis enim tuis timui.* Sed servile est obedire & famulari Domino plagarum metu, quem Caritas amandat. *Caritas,* inquit D. Augustinus Serm. 18. de verb. Apost. *pellit timorem pœnae, & introducitur timorem castum: scilicet filialem.* Non diu servit, qui tantum verberum metu servit.

SUNT alii, qui DEO se alligant sed Funibus. Serviunt Numini Spe promissionum & retributionum: minus malè, si vitæ æternæ & bonorum cœlestium: quid si reperiantur, qui hujus mundi momentanæ & temporalis? quid si dicere audeant, tetram mihi incolendam Deus largiatur, de cœlo supernisque quæstionem non movebo: sibi illa reservet. O terræ filii! non est durabilis hic nexus. Erat ligatus Samson septem funibus nervicis necdum ficcis, ut scribitur Judicum xvi. At, quàm primum audivit: *Philistin super te Samson,* rupit vincula, quomodo si rumpit quis filum de stupâ tortum sputamine, cum odorem ignis acceperit. Servias tu DEO ob spem divitiarum, honorum gloriæ, longæ vitæ consequendæ: prædico tibi, ad minimos mundi, carnis, Dæmonis insultus, rumpes vincula, quibus te DEO copulasti, quomodo si rumpat quis filû de stupâ tortum sputamine: & instar ferocientis equi, rupto freno, in quælibet scelerû fereris præcipitia, Mihi crede, ad minimam voluptatis titillationem, tanquam ad odorem ignis, omnis hæc

(a) Matt. x. Luc. xii. (b) Ps. cxviii.

hæc sparte materia evanescet? Qui non nisi salarii divini spe laborabat, se, non illum, cui operam impendit, quærit.

GLUTINO itaque adhærere DEO bonum est: & ponere in Domino Deo spem suam. (a) Glutino Caritatis, colla amoris, visco dilectionis, ut clamare possitis: *Quis nos separabit à Caritate DEI?* quis hoc *Glutinum* abradet? DEO si caritatis Glutino adhæseris, non adhærebit tibi sedes iniquitatis, non agglutinabit se tibi Mundus, non viscus illecebrarum carnalium te devinciet. Glutino si conjunctus DEO fueris, non timebis elatos in altum maris mundani fluctus, non metues aliis formidandas æquoris immensi procellas, non te deicient undarum ventorumque continuati incurfus: Rupis tuæ Glutino adhærens ridebis insanas & inanes ferocientis pelagi minas, saxo, in medio mari tutus. Rumpantur funes promissionum, extrahantur Clavi pœnarum, securus ingeminabis: *Glutino* adhærere Rupis bonum est.

CHRISTUS Servator noster funibus aliquoties ligari se permisit: in villâ Gethsemana, per viam, in Annæ palatio ad columnam, ad Crucem, ut manus pedesque extenderentur ad clavos suscipiendos; sed non permansit in funium ligatura: nam non est durabilis, nobis ad exemplum. Antiquissimis temporibus ad Crucem condemnati, sæpe alligabantur ad arborem vel stipitem funibus. Sic apud Ausonium in cupidine Crucifixo.

In excelso *Suspensum* stipite *Amorem*,
 Devinctum post terga manus, substrictaque plantis
 Vincula mœrentem, nullo moderamine pœna
 Adfigunt. -----

Sic quoque Martyres sæpe arbori Palmæ affixi fuisse leguntur. (a) Et de S. Andrea Apostolo omnibus notum est,

(a) Psalmo LXXII. (b) Ad Rom. VIII, 35. (c) Septembris 24.

est, ac pictura constat. Sed nimis est visa fragilis alligatio. quare ad clauos est ventū. Quib⁹ licet Saluator Christus fixus etiam fuerit, tamen nō nisi pauculis horis, cū eodem die ad vesperum depositus fuerit à ligno, illam cōnexionem sustinuit; ut intelligas, violentam omnem adhesionem fragilem esse & dissolvendam. At idem, qui funes abiecit, & clauos excussit, adstringi nobis voluit indissolubili Gluti caritatis: *Caritate perpetuā dilexit nos.*

(*) O quam *Glutino bonum est!*

NATURA, quæ est Omnipotentis Architecti cooperaria, si quando aliquorum nunquam dissolvendam cōjunctionem molitur, non adhibet funes, nec infigit clauos, sed uritur *Glutino* quodam arcano, quod ego *Glutinum Natura* appellare soleo: & sic omnibus tacitè occipit: *Glutino bonum est.* Accipite exemplum. Inter corpora, quæ magnam hanc Molem, tanquam ingens corpus, seu membra quædam componunt, nempe, Elementa quatuor, nexum conciliare cogitabat, nullis potentia creatæ viribus disjungendum: circumspicienti instrumenta, occurrebant quidem vincula funium, & offerebant se clauis; sed hisce repudiatis, *Gluten* quoddam & viscus nativum coxit, quo corpora linivit. Inde factum, ut unum alteri tam arctè adhæreat, quasi nulla vi à se invicem divelli possint. & aërem aqua in altū sequatur, quam alioqui nulla artificis industria, per tubos & amfractuosos canales eò deduceret. *Glutino bonum est.*

IN Moralibus, ut significaretur copulatio indissolubilis, quæ est in marem & fœminam, Sacra-Scriptura inquit Genesis secundo, *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Græcè est προσκολληθησεται: quod Tertullianus optimè reddit: *Conglutinabitur.* Inter Jonathan filium Saulis, & Davidem intima fuit cōnexio,

(*) *Ierem. xv. 31.*

nexio, & qua maior vix reperiri posse videretur inter duos affectuum consociatio, quæ eodem verbo à glutino formato exprimitur lib. i. Reg. xviii. *Anima Ionathæ conglutinata est anima David.* id est, Jonathas intimè ac terrimè Davidè diligebat, ita, ut videretur anima ipsius Glutino affixa, & quasi in unum compacta cum anima Davidis, Huc spectat illud Jeremiæ xiii. ubi Deus suum Israhèl conjunctionem ex affectu paterno exprimit eadem phrasi: *Sicut adhaeret lumbare* (nempe balthèum, vel cingulum ex lino, quo lumbi cinguntur) *ad lumbos viri, sic agglutinavi mihi domum Israhèl, & omnem domum Iuda.* Ita symbolicè indicat conjunctionem conjugalem, quæ est intima. (a) *Glutino igitur bonum est.*

CLAVIS DEO junguntur, quos Timor adnectit. Non damno. Audio enim magnum in vitâ spirituali Doctorem ex cathedrâ invitantem: *Venite filii audite me, Timorem Domini docebo vos,* Ps. xxxvi. 12. Vox est hæc Magistri suorum intimo complectentis affectu, inquit D. Basiliius, & ad discendam disciplinam paternâ commiseratione invitantis. Idem suadeo, idem clamo imperfectis, & cum eodem S. Patre horror, ut, dum se sentiunt à Dæmone ad peccatum allici, & jam ferè manus dare revocent ad mentem formidabile, & nulli hominû tolerabile Christiudicium. Salutaris omninò est Timor, & bonus clavus, quo configitur spes proflentis ad peccatum & concupiscentia detinetur. Salutaris procul dubio est Timor. *Initium enim Sapientiæ est Timor Domini,* Psalmo cx. Et, *qui timet Dominum nihil negligit,* Ecclesiastici vii. Salutaris est Timor: nam *qui timet DEUM convertetur ad cor suum,* Ecclesiastici xxi. *Timor Domini expellit peccatum,* Eccles. i. *Timor DEUM, & recede à malo* Proverb. iii. *Oculi Domini super timentes eum, protector potentia, firmamentum virtutis, regum*

(a) Hieron. Prædicatione Ezechielis xvi.

ardoris, & umbraculum meridiani deprecationis & adiutorium casus: exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanctitatem, & vitam, & benedictionem Ecclesiastici xxxiv. Salutaris est Timor: nam qui timent Dominum, inquirent, quae placita sunt ei, preparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Ecclesiastici ii Salutaris est Timor, qui quasi clauatis carnibus, inquit Augustinus lib. 2. de doct. Christ. cap. 7. omnes superbia motus ligno Crucis adfigit. Auorum nostrorum ævo, ante pedes Alfonsi Ferrariæ Reguli mortuus concidit nobilis dynasta: & Papæ! exclamabat Dux, hoc me Monachum non faceret? quid diciturus, si Anastasium Imperatorem hæreticum fulmine ictum cum tota domo conflagrare vidisset? salutaris Timor.

SED *Glutino bonum est.* agnosco comparisonem inpositivo, & dico: Melior est Amor. Amor nativum est Gluten conjunctioni intimæ aptissimum. Quod Amor, dilectio, Caritas sit Gluten, dubitare non possum, siquidem ita non obscure vocatur ab illo, qui naturam utriusque probè callebat, Psalmista David, apud quem lego: *Adhæsit Anima mea post Te: Psal. xlii. 9.* quod in originali est *Agglutinata*, quomodo habet S. Augustinus, & perpendit, docens, *Gluten esse Caritatem: post DEUM agglutinari animam illius, qui non consilio suo vult vivere, ne repellatur, sicut Petrus repellebatur, quando volebat consilium dare Christo passuro pro nobis, & iussus fuit redire post eum, Matthæi xvi. ut etiam sequens diceret, Agglutinata est Anima mea post Te.* Finxerunt antiqui nescio quas amicorum quasi consolidationes, agglutinationesq; inseparabiles, & indivisibiles; sed nulla par est illi, quam efficit *Gluten Caritatis*, DEUM inter & hominem ei de proximo amicum. *Adhæsit, seu, agglutinatus fuit DEO Præpheta David, ut commentatur S. Hilarius,*

Quinta Pars.

SS

non

non blandimentis seculi, non corporis vitiis amorem suum ab eo, caritatemque retrahentibus. Quod confirmat eo Pauli dicto celebri, Qui adhæret Deo, nempe, Glutino amoris, uno cum ipso spiritum effici: 1. Corinth. vi. 17. & Christi Domini oratione, qua suos sic unum effici petebat à Patre, quomodo ipse cum eo unum est, Joann. xvii. 11. unum autem tum in spiritu, tum in sanctissima Triadis naturâ, quæ Patri ac Filio communis, & indivisibilis partitionem haud patitur. Sic quadamtenus primorum in Ecclesiâ Christi credentium erat *cor unum*, & *anima una*, Act. iv. 31. quoniam agglutinabantur eadem caritate divinâ, eodemque bitumine lita erat Ecclesiæ Arca. Itaque caritatis Glutino conivctos esse proximi & multo magis cum Deo optimum est, Idcirco plenitudo legis, ac vinculum perfectionis, seu perfectissimum vocat Caritatem Apostolus. Quod considerans S. Augustinus, lib. de morib. Eccl. cap. 11. *Caritas*, inquit, *est virtus conivgens nos Deo, qui ipsum diligimus*, id est, Glutino arctissime copulamur, & ita copulamur, ut nihil omninò inveniri possit in cælo, vel in terris, quod hanc connexionem possit dissolvere.

Quis nos separabit à caritate Christi, clamabat ardentem ille Amator, stigmatibus amoris igniti notatus, tribulatione, an angustia, an persecutio? & post longum istiusmodi adversitatum catalogum, ne morte quidem exclusâ adjungit: *Certus sum, quia neque mors, neque vita neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliquid poterit nos separare à Caritate, quæ est in Christo Jesu Domino Nostro. O vinculum plus quàm ferreum, & adamantinû quis nos separabit Glutino junctos? Nemo separat minando mortem*, scribit Augustinus, lib. de moribus Eccl. cap. 11. *Id ipsum enim quod diligimus mori non potest: nam Deus est*

at mors ipsa est non diligere DEVM. quod nihil est aliud, quam ei quicquam diligendo, atque sequendo praeponere. Nemo inde separat, pollicendo vitam: nemo enim ab ipso fonte separat, pollicendo aquam DEUS est fons vitae. Non separat Angelus: non enim est Angelus, qui non inhaerendo DEO nostra sit mente potentior. Non separat Virtus: nam si Virtus hic illa nominata est, qua aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omnino sublimior mens inhaerens DEO. Sin Virtus illa dicta est, qua ipsius animi nostri rectissima affectio est, favet, ut jungamur DEO. Si in nobis est Virtus, ipsa conjungit. Non separant instantes molestiae: hoc enim leviores illas sentimus, quo ei, unde nos separare moliuntur arctius inhaeremus. Nō separat promissio futurorum: nam quicquid boni futurum est, certius promittit DEUS: & nihil est ipso DEO melius qui jam profecto bene sibi inhaerentibus praesens est. Non separat altitudo, neque profundum. Etenim si haec verba scientia fortē altitudinem ac profunditatem significant, non ero curiosus ne sejungar à DEO: nec cujusquam me doctrina ab eo separat, ut quasi depellat errorem, à quo nemo profusus, nisi separatus erraret. Si verò, altitudine profunda superna & inferna hujus mundi significantur, quis mihi caelum polliceatur, ut à caeli fabricatore sejungar; aut quis terreat infernus, ut DEUM deseram, quem si nunquam deservissem, inferna nescirem. Postremo, quis me locus ab ejus caritate divellat, qui non totus ubique esset, si ullo contineretur loco. Non, inquit, separat alia creatura. O altissimorum mysteriorum virum!

GLUTINO bonum est. Quis nos agglutinatos separabit à Caritate DEI? vide dictionis emphasin, monet D. Chrysostomus, Hom. 54. in Gen. & latentem vim: vide amoris violenti furorem, vide caritatem inflammatam. Quid, inquit est, quod possit nos à Caritate DEI separare? Quid inter visibilia, quid inter invisibilia? deinde volens omnia enumerare, & simul manifestum facere desiderium, nullo freno inhibendum, quod erga Dominum gerebat, sub-

didit. Num afflictionum angustia? num fames? num
persecutiones? num nuditas? num periculum? num
gladius. O animam sanè furentem infania eâ, quæ con-
nentiæ mater est! Idem summus Orator perpendens ad-
hæsiōem illam per *Glutinum*, de quo Psalmista. *Adhæsiō
anima mea post Te. Ubi & Hebræa (a) & Græca vox (b) vni
potest, agglutinata fuit anima mea Tibi, & exaggeras vni
verbi, quod in Græco habetur, κολληθηται, & quod divinus
Cantor, non tantum dicat, animam appropinquasse, hanc
adhæsiōem comparat cum confixione clavorum, quæ ierit
per Timorem DEI configi carnem suam cupiebat; & cū arbore,
quæ profundas radices jecerit, ita ut nec vehementi pro-
cella, valeat agitari. Verū, firmiorē designari adhæsiōem
per agglutinationem quàm per confixionem supra demon-
stratum est. Quare Gaudentius Brixienſis agglutinationem
cum animæ DEO, de qua David, exponit de adhæsiōe,
quæ erit in cælo per beatitudinem penitus inseparabilis.*
*GLUTINO bonum est. Discite Adolescentes, agglutinari
vos DEO: manere in Christo qui DEUS est, & homo, ut
& maneat ipse vicissim in vobis: & sitis sicut palmites in-
hærentes Viti, non per fidem solam sed per caritatem, &
mandati servationem, & observationem: ut sic, quod
Cyrillus monet, liceat dicere cuilibet vestrum, adhæsiō
anima mea post Te, Domine.*

*GLUTINO bonum est, Bonum est adherere DEO, & ponere in
illo spem suam. Cave igitur adhæreas meretrici, (i) carni, sensu-
sualitati, voluptati: vel adhareat in terra ventris tui: (k) sicut
anima pavimento: (l) vel tibi sedes iniquitatis: (m) & cor prae-
vium. (n) Ut autem adhareat DEO, & ei adglutineris,
testimo-*

(a) דבליח dauecha. (b) κολληθη. (c) S. Chry. hom 9. in 2. ad Thimo-
th. (d) Ps. 118. 120. (e) Gaud. tract. 2. (f) Ioa. xv. 2. 4. 5. (g) Cyril.
lib. 10. in Ioan. cap. 16. (h) Psal. 72. 29. (i) Corin. 6. 16. (k) Psal. 43. 21.
(l) Psal. 118. 15. (m) Psal. 93. 20. (n) Psal. 118. 15.

testimoniis ejus (a) adhære: & non recedas à vestigiis ejus, faciens mandata illius, juxta monitum Josue (b) & exemplo Regis Ezechiaë (c)

GLUTINO bonum est. Glutinum est Amor. Discite amare DEUM dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter ne illecti, prudenter, (d) ne decepti; fortiter ne oppressi ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloria, nec carnis voluptatibus abducamini, Dulcescat vobis præ his Sapiëntia Christus. (verba sunt melliflui Doctoris) Ne seducamini spiritu mendacii, & erroris, Lucescat vobis Veritas Christus. Ne adversitatibus fatigemini, confortet vos Virtus DEI Christus. Animum zelumque vestrum inflammet caritas, informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspetus, sit invictus: nec teporè habeat, nec careat dissectione nec timidus sit. Itaque diligite DEUM vestrum toto & pleno cordis affectu, diligite tota rationis vigilantiâ, & circumspeditione, diligite ex tota virtute, ut nec mori pro ejus amore primescatis: quia fortis est, ut mors, dilectio, dura, sicut infernæ æmulatio. Sit suavis & dulcis affectibus vestris DEUS contra malè dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedo dulcedinem. Purgate amorè vestrum, Adolescentes, consilio Patris Augustini, & aquam fluentem in cloacam, convertite in hortum. Væ tali amorì tuo, si vel suspiceris aliquid pulchrius, aut dulcius quàm est ille, à quo omne pulchrum & dulce. Sit non dulcis solum sed & fortis & constans amor vester, nec cedens terribus, nec succumbens laboribus. Ergo amate affectuone, circumspetè, & validè, scientes amorem, cordis affectuosum tantummodò dulcem esse, & vertibilem: circumspetum autem, nisi fortis sit, rationabilem esse, sed fragilè. Adjungatur ergo fortitudo. Sit vestra, usque ad finem vitæ fortis, ut mors dilectio. quod omnibus ex animo precor. VALETE.

SS :

Le-

(a) Psal. 118, 31, (b) Jos. 22, 5. (c) Reg. 18, 6. (d) S. Bern. serm. 20. in Cant.

Legendus S. Bernardus Sermone de triplici coherentiâ Vinculorum, in quo docet, DEO aliquem conjungi & adherere, vel durè ac firmiter per Funes, id est, per memoriam honestatis, qua inest virtuti; aut promissionis; vel fortius & durius per Clavos ligneos ferreosq., qui est gehenna Timor; vel suaviter & securè per Gluten caritatis, juxta illud Isaia 41.7. GLUTINO BONVM EST.



S E R M O XIII.

V E C T I S

Architecti Christiani.

Verbum Dei.

A R T I C U L V S I.

Quale Instrumentum in Architecturâ sit vectis.

VERBUM DEI in Evangelio à Christo Domino comparatur semini: Exiit qui seminat semen suum, Lucae VIII. Quod quidem non Verbo scripto, sive de Scripturâ, sed de verbo prædicato, quod auditu percipitur, mihi persuadeo capi debere, ut in Concionum Dominicalium Tomo exposui. Sive autem dictum fuerit à DEO immediate, sive ab ejus ministris, dictum appellatur. Quod quamvis aptissimè conferatur cum semine, ut auctoritate celestis Magistri satis constat, tamen haud ineptè, ut existimo, comparabitur cum Instrumento quodam Architectonice ædificatorie, quod reperio in indicibus instru-

instrumentorum Architectonicæ illius, quàm hic Academicis Christianis ex instituto tradere destinavimus. Nam præter Instrumenta hæcenus nominata, & explicata, est quoddam usitatissimum, & maximè necessarium ad ædificandum, quod vocatur VECTIS, cujus mentionem sæpe facit Vitruvius in suis de Architecturâ libris. Ut autem ejus plena habeatur notitia, OBSERVO. Nomen illud varia significare Instrumenta. I. *Vectis* est instrumentum ex ferro aliâ-ve materiâ, quâ ostium clausum, adversus vim nititur. Ita dictum, ut censent Grammatici, quod manu huc illuc vehatur. Virgil. lib. VII. *Eneid.*

Centum aræi claudunt vectes, æternâq; ferri

Robora. — II. Vectis dicitur lignum.

oblongum, quo oneris aliquid à binis pluribusque in humeris gestatur. Exodi xxvi. 13. *Facies quoque Vectes de lignis setim, & operies eos auro: inducesque per circulos, qui sunt in Arca lateribus, ut portetur in eis.* III. *Vectis* est instrumentum ad aliquid subvertendum effringendumque accommodatum. Horatius lib. 2. *Carm.*

----- -- Hic hic ponite lucida

Funalia, & Vectes, & arcus

Oppositis foribus minaces

IV. *Vectis* à *vecto*, quod est *veho*, palus è ferro, vel ligno grandior, fabris & ædicatoribus maximè necessarius ad onera promovenda, attollenda, transferenda. Cæsar lib. 2. *belli civil. Saxa quàm maximè possunt vectibus promonent, precipitataque muro in musculum devolvunt.* Cicero I. *de Natura Deor. quæ molitio, quæ ferramenta, qui Vectes, quæ machina; qui ministri tanti muneris fuerunt?* V. *Vectis* est palus vel ligneus vel ferreus quo circumagitur ergata trajecta; aut succula. Ergata dicitur machina tractoria axe recto, quæ obnitentibus & in gyrum euntibus vectiariis, ver-

satur: qualis, est qua in emoliēda anchora utitur in onerariis navibus. *Succula* verò Vegetio ^{eros} Aristoteli dicitur machina tractoria tereti ligno constans duobus vectibus trajecto, circa quam ductarius funis obvolvitur, cujus est usus in attollendis trabibus; & subvehendis ex apotheca vinis: ubi in duobus arretariis, quæ ab anterde sustentur, transversa ponitur succula inter chelonia duo versatilis. VI. *Vectis* quoque dicitur instrumentum, quo torcular circumagitur. *Vectiarins* uocatur, qui vecte utitur. Ut qui torcular vecte premit. ex Vitruvio lib. vi. cap. 8. *Vecticularius*, qui vecte parietes effodere conatur, furandi gratiâ. Hinc vecticulariam vitam agere, est furum istorum. Cato. Vecticulariam vitam vivere, est. *Repente largiter habere, repente nihil.*

ARTICULUS II.

VECTIS ARCHITECTONICVS

Mouet, elevat, transfert pondus quodlibet.

HVIVS Instrumenti, quod *Vectis Architectonicus* dicitur, ea est vis ac facultas, ut onus quantumlibet maximum, saxa ingentia, immò montem integrum transferre possit, modò illi supponatur. Parum hoc maius quid dicam, incredibile haud dubiè imperitis, certissimum tamen, & perspectum doctissimis Mathematicis, inter quos Magister primi subfellii Archimedes Syracusanus, geometriæ, ac machinalis, sideralisque scientiæ consultissimus, liberè professus est, ac fidenter, non tamen arroganter, ac mendaciter, à se Vectem confici posse, quo immobile hoc elementum, quod Terram dicimus, & quam in æternum stare pronunciat Sapiens, Eccl.

Eccl. xiv. quodq; inde consequitur, compages hæc tota è cælo, terra, aëre, igne & aquâ, naturisque contentis, quæ Mundus, vel vniversum appellatur, loco moveretur, & ad quodlibet spaciî imaginariî, quod extra cælum in infinitum extenditur, punctum designabile transferretur; immò, pilæ instar, quâ datatim luditur, ab unius in alterius manum transfiret. Tantum valet *Vectis Architectonicus*. Verum dixisse Archimedem non docuit quidem hætenus experientia: nam nemo Vectem proportionatum Mundo supposuit, (quod est necessarium ad usum illius Vectis) demonstratione tamen irrefragabili id ostendit Mathesis scientiarum certissima. Talem ego Vectem in Architectonicâ nostra spiritali ac Divinâ aio esse VERBUM DEI ad omnia onera ponderaque transferenda ac promovenda maximè idoneum.

ARTICULUS III.

DEVS ARCHITECTVS

In architectanda Mundi Machina concipitur adhibuisse Vectem-Verbum-suam.

Ipse dixit, & facta sunt. Psal. xxxii. 9.

VT DEUS fabricaret Mundum, vel tanquam Urbem amplissimam, vel tanquam Domum splendidissimam, vel tanquam Templum augustissimum, necesse fuit extrahere, & transferre ex Nihilo; quod concipiendum est, velut hiatus quidam immensus, in quo delitescent omnis generis lapides, ut sit quasi lapidina universi; transferre, dico, oportuit ex Nihili hac lacunâ ad Esse, inter quæ chaos est infinitum, omnia quæ in Mundo

cernuntur corpora, cœlum, mare, terram, aërem, & quicquid in iis est. Jam ponderentur ista omnia, deprehendentur esse gravitatis penè incomparabilis. Sed nihil transferantur ex abyſſo Nihili, nunquam erunt ad Mundum fabricandum usui. Quid fecit Architectus Deus? Accepit suum Vectem, quem semper habet ad manum, & immisit in Nihili cavernam infinitam, ubi latebant illa à me antea commemorata, quæ momento temporis extraxit, eduxit, transtulit. Nec fuit opus ullo alio instrumento ad ingentem hanc Mundi machinam ex partibus illis componendam. Hoc animadvertit ingeniosè Architecti nostri Scriba velociter scribens, & quod in Genesi pluribus explicatur per multas creaturas, exprimit Brevissime Propheta David Psalmo xxxii. *Ipsè dixit & facta sunt. Verbo Domini cœli firmati sunt.* En Vectem Omnipotentia VERBUM DOMINI, quo elevatur ex NIHILo, quod pondere prægravante, fuerat eatenus in fundo abyſſi.

ARTICULUS IV.

VERBO DEI

Tanquam Vecte Architectonico, transfertur Mons.

NOta refero, & decantata in Ecclesiâ. Gregorius Neocæsareæ Ponti Episcopus, (a) vir sanctitate, doctrinæque illustris, à multitudine & præstantiâ miraculorum *Thaumaturgus* appellatus, cùm volens ædificare templum in loco ad id idoneo, videret angustiorè esse quàm ædificium exigeret, eo quod ex una parte rupis maris, ex alia monte proximo coarctaretur, accepit

(a) *Vita. Breviarium Romanum XVII. Novemb.*

tanquam Architectus Christianus Vectem ingentem, illumque, ut potuit, Monti supposuit: tum facillimè Montem transtulit, ut tantum spacii relinqueretur structoribus templi, quantum commoditas postulabat. Quis ille fuit VECTIS? non alius, quàm VERBUM DEI. DEUM VERBI sui admonuit magnus DEI SERVUS: Verbum orationis protulit: Verbo, tanquam Vecte, Montem transtulit.

ARTICULUS V.

VERBO DEI

Velut Vecte, Peccatum & Peccator, pondera gravissima facillimè transferuntur.

VECTIS aliud pondus multo enormius præcedente elevari & transferri eodem Vecte supremi Architecti: Disputatur subtiliter à Theologis, non quæ sit maxima gravitas in corporibus, seu quod sit corpus omnium gravissimū; hoc enim spectat ad Philosophos inquirere, qui multis, de maximo quod sic, & gravissimo quod sic inter se altercantur; sed de gravissimo, quod est in rerum natura, etiam in spiritualibus. Et post longam acerbamque partium concertationem eo devenitur, ut concludatur gravissimum omnium esse peccatum mortale, & peccatorem lethiferi criminis sarcina oneratum. Rationem dant, qui optimam solent, istiusmodi. Gravitas peccati mortalis est infinita in ratione offensæ, quia eo offenditur Deus infinitus: ob quam causam meretur, pœnam infinitam, si non intrinsicè, quod negant aliqui saltem extensivè, quod omnes adfirmant: & negari non potest, cum de fide sit, hinc decedentem peccato mortali

tali oneratum, post hanc vitam puniri in omnem æternitatem, sive, in infinitum extensivè. Quod si non sit infinita omninò gravitas peccati mortalis participat tamen de infinitate tantum, ut nulla gravitas illi possit comparari. Quod est indicium infiniti saltem participati. Profectò, Lucifer, & illi adhærentes Spirituum improborum catervæ, quam primum peccarunt, tam fuere graves, ut cælum, quamvis ex ære fustum videatur, illos sustinere non potuerit; sed ceciderunt omnes, tanquam lapides gravissimi in profundum, sicque cælum exoneravit se. Eadem autem est ratio cujuslibet peccatoris, qui in mortali persistit, quem idcirco cælum gravitate perurgente in se retinere nequit.

Hic tamen, licet infiniti ponderis, transfertur facilimè, per infinitam distantiam, à nihilo ad aliquid, ab imo ad summum, à tenebris ad lumen ab Occidente ad Orientem, à statu peccati ad statum gratiæ, à perditione ad salutem, à creatura ad Creatorem. Quo instrumento? *Veste* Architecti cœlestis, VERBO SUO excitantur, vocantis, immutantis, trahentis. Quod fit quotiescumque peccator sanctificatur; sive per Sacramenta, in quibus accedit Verbum ad Elementum, & fit Sacramentum; sive per Contritionem & Amorem: nam semper intervenit Verbum DEI, sine quo nulla perficitur justificatio.

ARTICULUS VI.

VERBO DEI

Ceu Veste, fit Hominis Mundani translatio.

DIFFICILLIMUM est movere Hominem Mundanum. Ita vocamus hominem cujuscumque ætatis, adolescentem,

lescentem, juvenem, virum, amantem ea quæ in mundo sunt: concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ: Hominem addictum Vanitati in corporis cultu, vestitu, crinibus, annulis, torquibus, lobbis, ligulis, fasciis, spiris, & similibus puparum nugis: Hominem consecretantem voluptatem in visu, gustu, tactu: Hominem aspirantem ad magnas opes, dignitates, prælaturas, officia, beneficia: Hominem sanum ac vegetum, spondentem sibi longam vitam, & in eâ dies bonos, jucundos, semper serenos, semper ridentes, semper fortunatos, ac felices. Ita enim insaniunt Adolescentuli quidam, inexperti, imprudentes, pueriles, Narcissuli, comptuli, tros suli; qui hæc & multo plura sibi, tanquam certissima pollicentur: ac si futurorum contingentium esset, non solum determinata veritas, sed scientia etiam penes mortales. quod negant boni Philosophi. Hos tales, qui ppe graves vanitatis sarcinâ, & fortasse multorum criminû, transferre ad stat umeliorem: deinde, traducere ad rerum mundanarû contemptû: & multo magis, ad relinquenda omnia: ad sequendum Christum nudum: ad ingrediendum Religionem, est propè ἀδύνατον; & facilius diceres movere cælum & terram, ac universum mundum, quam istos qui mundum in cerebri inanite circumferunt.

VERUM, id unicum potest *Vectis Architectonicus* artis nostræ, qui dicitur VERBUM DEI. Progrediatur in medium ANTONIUS ÆGYPTIUS, nobili prosapiâ ortus Adolescens, pulcher, robustus, doctus, corporis cultu visendus, gladius, ocreatus, inauratis calcaribus noscibilis, aureâ cæsarie, aureo redimiculo. Quò tendis Antoni? ad templum. quo fine? ut videam, & videar: ut circumspiciam, ut fabuler: ut amicam quandam meam ingredientem salutem, egredientem consequar. Ingresso
basili-

basilicam Antonio intonat altissimâ voce Evangelium cantans Diaconus: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Quid Antonius? ac si Vectis pedibus ejus subjectus fuisset, commoveretur, transfertur, currit, vendit omnia, pecuniam inde acceptam, parte assè quidem reservato sibi, pauperibus distribuit. Tum eodem Vecte translatus in vastissimam Ægypti solitudinem devenit: ibi mundo mortuus, Deo vivens, ea dixit, fecit, instituit pro posteris, ad quæ mûdus abstupuit, cœlum applausit, infernus horruit: ille adolescentulus, ille gloriosulus, ille Antonius nobilis Ægyptius. Nemo desperet. tantæ virtutis est VERBUM DEI, Architectonicus VECTIS.

QUID tu hic files FRANCISCE? prodi loquere, ut te videam. quid tibi accidit? Franciscus Assisii in umbra natus, (a) patris exemplo mercator, in officinâ enutritus, in foro cum institoribus versari solitus, Nundinationi assuetus, corporis cultui magis quàm nobiles, ut mercatorum filii deditus, audiens ex Evangelio Verbum Dei *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in rebus vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta:* (b) Sibi eam regulam servandam proposuit. Itaque deductis sibi calceis, & una contentus tunica, cum duodecim socios adhibuisset Ordinem Minorum instituit. Franciscus ille mercatorculus, pauper & humilis, quæ cœlum dives postea ingressus est. Quis non dicat, Verbum DEI esse Vectem ad quælibet onera, quamvis maxime gravia transferenda idoneum?

Nec te silebo NICOLAE de TOLENTINO, (c) qui clericali militiæ adscriptus, & Canonicus factus (Utinam imitentur ejusdem sortis Adolescentes, qui me audiunt, illustres, generosi, nobiles, Canonici, utinam & Vicarii, uel

(a) Vita 4. Octobris. (b) Matthæi 9. (c) Vita 10. Septemb.

vel choraules.) cum quodam die Concionatorem Verbum DEI explicantem, & de mundi vanitatumque contemptu firmis lateribus differentem audivisset, commotus vehementer, & divino inflammatus amore, Canonice se abdicavit, mundum deservit, Ordinem sacratum ingressus exactam vitæ religiosæ rationem coluit. Nimirum, tantæ potentæ est VERBUM DEI. verè VECTIS Architectonicus. Huc spectant vocationes omnium Apostolorum, quorum aliqui Verbo DEI, tanquã VECTE translati sunt è mari, unus de telonio, non nemo ex nuptiis, ut tanquam lapides vivi, ad DOMUS DEI struendam aptarentur. Utinam idem VECTIS Architecti, Omnipotentis dextera rotatus commoveat vos vivos ædificii spiritualis lapides, & transferat à falsis ad vera, à vanis ad solida, à vitiis ad virtutes, à carne ad spiritum, à temporaneis ad æterna, à terrâ ad cœlum, à creaturis ad Creatorem, qui in Patre, & Filio & Spiritu-sancto vos benedicens, est Benedictus in seculorum secula. AMEN.



SERMO XIV.

VECTES

Architecti Cacodæmonis.

Consuetudo popularis, prava, illegitima celebrandi intemperanter Bacchanalia: comedendi carnes in Quadragesima: violandi jejunium,

ARTI-

ARTICULUS I.

*Architectus Christo oppositus Cacodamon: & ejus affecla,
Qui Bacchanalia vivunt.*



QVEM ADMODUM in Militiâ Spirituali duplex est belli Dux & Imperator, Christus & ejus adversarius Lucifer, seu malorum Angelorum Caput, aut Antesignanus, vt, cùm de Militiâ Christianâ differeremus, demonstratum est; ita in Architectonicâ ejusdem denominationis, duplex est Architectus, CHRISTUS, & ejus antagonista SATAN, sive ille vocetur *Lucifer*, sive *Astarothus*, sive *Asmodeus*, sive *Belzebubus*, sive *Bohemothus*, sive *Leuiathan*, sive *Apollyon*, sive *Bacchus*, qui est omnium illorum pater, qui *Bacchantes* appellantur: in Evangelio celebre est nomen *Diabolus*, & communissimum, *Satan*, in Testamento Veteri; in Novo, *Satanas*. CHRISTUS ædificat Domum Sapientiæ; Lucifer, Satan, Bacchus Tabernam stultitiæ. Hunc imitantur, quicumque hoc tempore ex proposito stultescunt ac delirant, & tot ædificant stultitiæ gurgustia, quot suo exemplo ad similem stultitiam incitant, hominum stultissimi, quorum in mundo infinitus est numerus, qui compedibus vincendi essent, & in stultorum hospitale deportandi, ubi tam diu spinis ac urticis, nec non sale essent perfricandi, donec discerent sapere in Bacchanalibus, & stultitiæ ædificationem intermittere. Sic essent idonei, ut Feriâ quarta, quæ sequitur, in capite jejunii, cineribus conspersi cum fructu audirent: *Memento homo, qui pulvis es, & in pulverem reverteris*. Porro, ut Sapiens Architectus Christus sua habet Instrumenta, quibus Domum Sapientiæ extruxit, & inter cætera, Vectem admiran-

admirandæ potentia, qui est Verbum DEI, quo gravissima quæque elevantur, & de loco ad locum transferuntur, ut proximè est explicatum; ita stultus Architectus Cacodæmon, Sapientis Simia, suum habet Vectem, qui idem facere conatur, & se posse profiteretur; immò iactat superbè, se fundamentum Domus Sapientia, quod est magis, quàm Capitolij immobile saxum, immò, quàm Cælum & terra, posse loco mouere, transferre, invertere.

FUNDAMENTVM Domus Sapientia, sunt DEI Mandata, Christi Consilia, Præcepta dominica, quæ in Litteris divinis dicuntur Verba DEI, & sunt magis firma, inconcussa, immobilia, quàm cælum & terra, Christi D. attestatione: *Cælum & Terra transibunt: Verba autem mea non præteribunt.* Matthæi xxiv. Cuius sententia sensus potest esse comparatius, ut alibi doceo (a) nimirum, potius, ocius, facilius cælum & terra esse desinent, quàm verborum meorum vacillet stabilitas. Aut, magis est *admirandum* Verba mea infringi, aut moveri, quàm cælum aut terram: siquidem, ut est apud Isaiam Prophetam, *Verbum Domini manet, subsistit, perseverat, in æternum.* (b)

Quis est ergo ille Vectis, cuius vi movere se posse gloriatur, atque tentat, per se, perque suos, Architectus Cacodæmon? Non est iste vnus, sed multiplex: nam tot eius generis, ac denominationis inuenio, quot sunt Instrumenta, quibus, improbi à Satanâ, edocti, tum aliàs, tum hoc potissimum Bacchanalium tempore legem divinam, aut Ecclesiasticam à DEO proveniente evertere, à se remouere, & alio longè à se transferre nituntur.

(a) Sandaui in Opusculo *Mundus fallax. Comment. VII.* (b) *Isaia*

ARTICULUS II.

VECTIS ROSTRATVS.

Consuetudo praua inducens & roborans usum inebriandi.

P R I M V S Vectis rostro suo munitus est consuetudo popularis, qua solent pessimi Architecti DEI Verbum, legemque immobilem conuellere. Nemo dubitare potest, esse DEI Verbum, quod habetur apud Isaiam Prophetam: (a) *Va qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino estueris. Item Va qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Cui va, cuius patri va, cui rixa, cui fouea, cui causa vulnera, cui suffusio oculorum, nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* (b) Verbum DEI est: Neque fornicarii, neque fures, neque auari, neque ebrii, neque manduci, neque rapaces regnum DEI possidebunt. (c) Habetur ne herum legum minarum, decretorum DEI ratio, si tempus spectes, in Bacchanalibus, Saturnalibus, Martinalibus, prandij, cœnæ, symposiorum? Si loca, in triuijs, tabernis, popinis? si personas, à sacris, profanis; à viris, iuuenibus, adolescentibus: adde, à pueris, ac penè infantibus. Nulla habetur: liberè proloquendum est: omnes san- (si non singulos generum, sed genera singulorum consideres) qualibet opportunitate, quantum valent, bibunt, potant, hauriunt. Qui ad potandum fortissimus, ille dicatur honoratissimus: aut vice versâ. Hæc ars in pueritia discitur, in adolescentiâ exercetur, in virili ætate perficitur. At nulla te Diuinorum præceptorum severitas, nullæ sacrarum Scripturarum minæ, nulla mouet Legem semel sancitæ, nunquam abolendæ reuerentia?

(a) I cap. v. xl. (b) Prov. xxiii. 29. 30. (c) I. Corin. vi. 10. consuetudo praua.

FATEOR, inquit M. Bibulus, doctus à Pseudo-politico, legem esse diuinam, sed consuetudine apud nos contrarium introductum videmus. Secundum consuetudinem patriam vivitur. Ego mores meos ad eandem compono, memor illius diverbii, quod vncialibus litteris ante cœnaculum cuiuslibet sculpendum esset:

Cum fueris Roma, Romano viuuto more,

Cum fueris alibi viuuto sicut ibi.

quodque grauissimum Præsulem Hipponensem usurpare non piguit sapius. (a) Consuetudo vim legis obtinere solet, quid me excrucias, Theologe? Magna est hæc, perniciofa, & meritò profliganda deceptio, cuius, præter *Serpentem-vectem*, (quomodo Leuiathanam cognominat Isaias Propheta (b) ignorantia, seu improbitas Pseudopoliticorum sunt magistri. In confesso est apud bonos Theologos, & LL. peritos.

PRIMÒ. Nullam consuetudinem habere vim contra legem naturalem. Quod docet S. Thomas p. secundæ quæst. xcviij. art. tertio ad primum: & satis constat ex cap. vlt. de consuet. vbi id Doctores & Glossa confirmat. Quoniam, quod lex naturæ iubet aut vetat, est per se bonum, aut per se malum. Quocirca, hominum vsu aut consuetudine tolli, vel abrogari nequit. Quamobrem, consuetudo contra legem naturalem inducta, vocatur in Jure civili, *consuetudo contra bonos mores: & Abusus*: in Jure Canonico, *corruptela*. Est autem Ebrietas juri naturali contraria.

SECUNDO, In legem Diuinam Consuetudini potestatem non esse ullam. Quod iidem Doctores asserunt. Si quidem lex Diuina à DEO est lata, ut seruetur ab omnibus. Itaque, quemadmodum non potest humana lege

T t 2

colli,

(a) S. August. epist. 138. cap. 9. (b) Epist. 117. ad Iannar.

colli, sic nec consuetudine, quæ mera est corruptela, si Legi
 diuinæ aduersetur. Iam verò legi diuinæ aduersatur, &
 eadem prohibetur Ebrietas, de quâ agimus quam nulli
 consuetudo ita afficiet, vt peccatum non sit, & æternam
 hominem non priuet beatitudine. Quoniam, *Cælum &
 Terra transibunt: Verba autem DEI non prateribunt.*

TERTIO. In confesso est, consuetudinem esse debere
 rationabilem, ac naturæ consentaneam: qualis non est
 abominanda Ebriosorum. Idem iudicium esto de tot
 alijs peruersis, & exitiis consuetudinibus: liberrime
 alterius famam denigrandi: sacrati Ordinis viris, ac Re-
 ligiosis mendaciter crimina imponendi: aduersariis
 ad singulare certamen prouocandi, duellandi, & si for-
 ferat, instar canis contrucidandi.

ARTICVLVS III.

VECTIS FERRATVS.

*Consuetudo popularis violandi ieiunium Quadragesimale
 Ecclesiasticum.*

Hoc vtuntur plurimi ad transportandum à se Legem
 Martis Ecclesiæ de abstinentiâ à carnibus, & ieiunio
 quadraginta diebus. De quo monendi sunt, qui obli-
 gantur, antequam primis diebus illam violent. Attende
 dite.

IEIUNIUM Quadragesimale initium sumit ab hora duo-
 decimâ noctis, quæ consequitur diem Martis huius
 hebdomadæ. Itaque qui tunc, & post illam, ea nocte car-
 nibus vesceretur, violaret Quadragesimam huius anni
 quoad abstinentiam à carnibus. qui comederet pisces
 vel alia esculenta sumeret, violaret Ieiunium quadrage-
 simale, quoad præscriptum vnicę refectionis certo tem-
 pore.

pore sumendæ. At, Consuetudo est, inquis, vt die Martis, quippe, vltimo Bacchanalium, accumbamus vesperi post septimam, tum producamus cœnam in adultam noctem, deinde, ludamus, saltemus, tripudiemus: mox iterum accumbamus, edamus, bibamus, nec ante quartam matutinam recedamus. Quomodo enim alioquin, eo anno nos celebrasse Bacchanalia recordemur? An-non excusat nos bone Pater, tam bona consuetudo? Consuetudo illa est diabolica, non ab alio introducta, quàm à laruato aliquo Cacodæmone, cùm moliretur Vectem conficere, & suis tradere, vt Legem ab Ecclesiâ latam euerteret.

II. PRÆTEREA. Si quæras à patre familias, ciue honesto: quò peruenère carnes, quos vltimo Bacchanaliũ die coxisti: fortasse dicet, tantum superfuit, vt pro die Mercurij & Iouis & sequenti satis fuerit, ac parumper pro die prima Dominica: tunc absumpsimus analecta. Quomodo? qua conscientia? hoc est violare Ieiunium quadragesimale. Pater mi. Consuetudo ita habet, vt paralipomena Bacchanalium sint vsui primis illis diebus Quadragesimæ absque vilo scrupulo. Pessima est Consuetudo, irrationabilis Consuetudo, nullibi à Prælati Ecclesiæ approbata Consuetudo. Vectis Diaboli, non Christi. Sic in fraudem Quadragesimæ potuisses vltimo die Bacchanalium assare integrum bouem, fartum gallinis, perdicibus, porcellis, & altilibus, vt fit Francofurti ad Mœnum in coronatione electi Imperatoris, sicque tota Quadragesima comedere ex Bacchanalium reliquijs. Non animaduertitis astum Cacodæmonis? At, vbi relinquemus carnes coctas? melius est, vt nos ipsi vescamur, quàm vt proijciamus ante porcos, vel sepeliamus in fimo. Ergo desunt hospitales ægrorum domus, nosocomia, valetudinaria? eò essent mittenda

Bacchanalium illa lipsana. Desunt-ne pauperes, qui ad fores expectant, donec deferantur micæ de mensis dominorum suorum. At, quo titulo, quoue iure pauperes comedunt primis Quadragesimæ diebus carnes & pinguia, quæ diuitibus superfuerunt? Respondetur a Moralis Theologiæ Magistris, titulo necessitatis, si non habeant aliud quicquam quo vescantur. Deinde, titulo maternæ benignitatis & indulgentiæ, qua Ecclesia, non nouerca, sed amantissima mater fertur in pauperes, ut sibi carissimos filios. Denique, iure præscriptionis legitimæ, quam Prælati, & conscientiarum Præsides non reprobant. Quæ tametsi vera sint; non ambigo tamen esse pauperes studiosos, qui tam generosi sint animi, ut licet dentur carniū patinæ, dedignentur ijs vesci. Quod ego omnibus suadeo. Si enim alijs diebus pisculentis carnibus abstinent, ea deberent esse magnanimitate, ut propter tres quatuor-ue dies, nollent de se dici, quod non obseruassent totam Quadragesimam.

III. ~~AD~~ Si quæram ab adolescente, alioquin minimè malo, post aliquot Quadragesimæ dies euolutos. Adolescens, comedisti oua diebus proximè superioribus? ita, Pater: ille optimus est noster cibus, nam neque ossa habet, ut carnes, nec spinas, ut pisces. Benè dicis, ita hoc volebam. Habuisti-ne tu facultatem comedendi Quadragesima? nam in ea cum carnibus Ecclesia prohibet oua. Habui equidem, Pater. Quisnam dedit Consuetudo. En Vectem Diaboli? Erratis Adolescentes. Non est eius rei vbique consuetudo legitima: alicubi est generalis licentia, Colonia nec est hæc licentia, nec illa Consuetudo, Sunt-ne tam seueri Colonienses? non sunt tam teneri, quàm obseruantes Canonum Ecclesiasticorum. Quare, si vsum ouorum putat esse necessarium

in sua domo paterfamilias, debet petere facultatem à suo Parocho. pro se, suisque domesticis: adolescentes autem Scholares à suis Confessarijs, qui ab Antistite Ordinario delegatam sibi exercent. Quare monendi sunt Academici litterarum studiosi, vt initio Quadragesimæ quilibet suo se sistat Confessario, & ab eo potestatem sibi fieri postulet.

IV. DENIQUE. Accidit aliquandò, vt quæratùr à viro Catholico familiæ curatore industrio: quomodo obseruatur à te tuisque Ieiunium quadragesimale. Bene, vt reor, responderet: nam ter omninò in hebdomade ieiunamus, Lunæ, Mercurij, Veneris, & nonnunquam addimus diem Sabbati. Quomodo bone vir? ergo non quotidie colitis ieiunium in Quadragesima? Non, Pater. Vnde hoc indultum? A consuetudine: sic enim passim sine scrupulo ieiunant hic ciues nostri, viri optimi. Quod adeo vulgatum est, vt quidam existimarint, per Consuetudinem in quibusdam Germaniæ locis introductum esse, vt ter in hebdomade per Quadragesimam sæcularibus ieiunare sufficiat. (a) Sed errare illos reor: nullibi sanè apud Catholicos, certè Colonix non est legitime introductum consuetudine, nec præscriptum tale quid. Et quidem esset ea consuetudo irrationabilis, nec Prælati Ecclesiæ in illam consentirent: quippe, quæ contra tam Sanctum & Apostolicum, omnibus sæculis ac nationibus apud Christianos celebratum ieiunij quadragesimalis institutum vergit. Quod si tamen quispiam probabilem aliquam causam adferat, cur non omnibus hebdomadis diebus ieiunare possit, cum eo facilius dispensare conuenit in frigidis istis Regionibus, quàm alibi. Recordor etiam Præuilegij à Pio IV. Pontifice Max. anno M.D.LXIII. Societate IESV concessi,

Tt. 4. ad

a) vide Layman lib. 4. tract. 8. cap. 3.

ad dispensandum cum ijs, qui in partibus Septentrionalibus ad ieiunandum totâ Quadragesima adduci non possunt: vt videlicet aliquoties in hebdomade qualibet ieiunare sufficiat.

ITA QUE si diebus istis hilariûm instiger vos falsitatis Architectus Cacodæmon ad intemperantiam, ad lasciuiam, ad impuritatem improbitatemque, quasi licet Diuina Bacchanalium tempore, vt non viget apud omnes, ita nullos obliget, quod consuetudine abrogata sit. Si in Quadragesima suggerat: liberè comedas quidlibet, & quandoquæ collibitum fuerit; consuetudinis id est Germanicæ, Responde audacter, calidè, & sine peccato, iracundè: Architecte malorum omnium Diabole, sit tibi tuus ille Vectis in damnationem. Consuetudinem omnem detestamur, qua Verbum DEI impetitur. Sis maledictus in æternum, qui euerrere conaris Verbum Domini, quod manet in æternum. Sit benedictum Nomen Domini in æternum, quia est Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, qui viuit & regnat in æternum. AMEN.



SERMO XV.

VECTIS CHRISTI.

Vfus legitimus Verbi DEI.

VECTIS DIABOLI.

Abusus Verbi DEI.

Scriptum

Scriptum est, quia Angelis suis mandavit de te. Matth. iv. 6.

Rursum scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum. Matth. iv. 7.

ARTICULVS I.

SERPENS-VECTIS

Congreditur cum Christo pro Victoria.



PECTACVLVM iucundum, & vtile strata-
gema exhibetur in Euangelio hodierno,
velut in theatro. Prodeunt duo Architec-
ti, CHRISTUS & Diabolus. Certamen insti-
tuitur, cuius-nam instrumentum Archite-
cti sit validius & potentius? Christo deseruit Verbum
DEI tanquam Vectis ad mouendum quidlibet: Diabo-
lus illud idem, quod videri potest incredibile, astu Sa-
tanico transformare conatur in Vectem suum, vt, &
Christo non sit vsui & sibi, tanquam Vectis deseruiat.
Quare hunc Diabolum, qui hodie congreditur cum
Christo existimo esse illum, qui Isaia xxvii. vocatur
LEIATHAN SERPENS-VECTIS: *In die illa visitabit Domi-
nus in gladio suo duro & grandi & forti super Leuiathan Ser-
pentem vectem.* Diabolus dicitur *Serpens* ob astutiam &
venenum peccati quod in hominibus callidè suggestio-
ne, irritatione, persuasione suffundit. Dicitur etiam *Ve-
ctis*, quia ipse, vt commentatur insignis interpres, (a)
quali Vectis plus quam ferreus obstruxit fores Inferni,

T r s &

(v) Sanchez Isa. xxvii.

& peccati (ne quis inde emergat) consequenter & conne quis eò penetret, idque adeò fortiter & angustè, non nisi gladio DEI duro & grandi vectis ille, ad liberandum hominibus atque expeditum ingressum diffringi, ac uelli potuerit.

ACCOMMODATIVVS ad rem nostram diceretur Codæmor Vectis, quia est fabricator Vectis non vni & vitur Vecte, instrumento architectonico commo Christum & eius discipulos, vt loco moueat, & inueniat omnia, quæ pertinent ad ædificationem Domus Sapientię. Quod intelligetis, si diligenter, attentè, & auide vt famelici solent in Quadragesimâ, quæ proponitur exhauseritis.

ARTICULUS II.

VECTIARI DIABOLI

Contra Christum astuta machinatio.

VECTIS Christi, tãquam Architecti Diuini, est VERBUM DEI purè acceptum, benè intellectum, sincerè explicatũ: At Vectis Diaboli est, Verbum DEI corruptũ, adulteratũ, malè intellectũ, peius expositũ, pessimè applicatũ, detortũ, inuersũ, id est, *Abusus VERBI DEI*. Quo creditur per se, perq; suos Ædificatores Domus Stultitię, fundamentũ Domus Sapientię, & quicquid ad illius ædificationem requiritur, nempe, omnẽ DEI legẽ omnia illius mandata, virtutes deniq; omnes loco mouere & evertere. Specimen eius moliminis egregiũ dedit Matth. 4. vbi agitur de Christo agente in deserto. Sed quomodo Vecte cõtrario sit occurrẽdũ exẽplo suo præclarissimè demonstrauit in eodẽ theatro Dominus. Diabolo propositum erat, inducere Christũ in aliquod peccatũ. Quod si effecisset, & victoriã de illo reportasset, vt vnice ex

tabat, & sciuisse, q̄ maximoperè desiderabat, an reuera, Christus esset DEI Filius naturalis. Nam si peccasset, cō- clausisset Satan in bona formâ & figurâ dialecticè, hoc illogismo. *Nullus qui peccat contra DEUM est, DEI Filius naturalis: quia Filius DEI naturalis est ἀπαύγματος: impeccabilis. sed hic homo peccat contra DEVM. Ergo non est DEI Filius naturalis.* Quocirca omni vitur artificio, vt Christum ad aliquod peccatū cōmittendū pelliceret, ac permoueret. Sed quis moueat immobilem? Architectus per Vectem. Assumpsit eum Diabolus in sanctam Ciuitatē, & statuit eum super pinnaculum Templi, & dixit ei: *Si filius DEI es, mitte te deorsum.* Pinnaculum, ne hoc ignoretis, est fastigium & summitas ædificij in acumen desinens; siue q̄ veteres pinnam acutum dicerent; siue q̄ pinnaculis pinnam addi consueuerit, quæ facili motu ventorū indicet flatum: q̄ genus nunc vulgo pinnaculum dicitur. Quāuis autē pinnaculum in acumen vergeret, habebat tamē suam quandam planitiē, & latitudinem, vt in eā quis pedibus insistere posset: sicut insistent structores, ac fabri, qui te cta reficiūt. In illo ergo culmine stare potuit Christus, aut certè, in illo eum tenuit, & sustinuit Diabolus. IAM verò, peccatū est contra DEUM vitæ auctorem ac dominū cōmissum, sine causâ legitimâ, præcipitem dare se ex rupe, turri, aut pinnaculo. Id vt Christo persuadeat se moueat, vt se præcipitet, nihil esse putauit efficacius, quàm Verbum DEI per abusum, ac peruersâ interpretationē in vectē transformatum. Dicit igitur: *Si filius DEI es, mitte te deorsum: id est, ex pinnaculo in præceps labere; sic enim cades in atrium Sacerdotū, sed miraculoso casu, aut, si mauis, saltu: atq; ita ostendes, tēpli & altaris, quasi Domus tuæ Dominum, ac DEUM Te esse, tam Sacerdotibus, quàm Laicis: sicq; ab ijsius sacrificij, & adorationis reposces.* Quo nitebatur pessimus consultor Chri-

Christū ad vanam sui suæq; Maiestatis ostentationē adducere. Cū videret Christū non commoueri, expedit Vectē, eumq; pedibus illi⁹ supposuit. vt solet Architectus ad transferendū lapidē: *Scriptū est enim, quia Angelus suis mandauit de te* (Luc. cap. 11. addit) *vt conseruent te, & in manibus tollent te. ne forte offendas ad lapidē pedem tuum.* Traducit hoc verbū DEI ex Psal. xc. cui⁹ exordiū: *Qui habitat in adiutorio Altissimi.* Vbi secundum sensū genuinum agitur de Angelis singulorū hominum tutelaribus: quamuis possint quilibet alij Angeli intelligi, quos DEVS ad hominum opem & salutem destinat, mittitq;.

SED, in quo consistit Abusus illius Verbi DEI, prout adhibetur à Diabolo ad mouendū Christum? Existimant SS. Chryso. Hieronym. Hilar. cōmentarijs in Matth. (a) Origenes & S. Nazianzenus (b) citasse Diabolū Scripturā fraudulēter, & falsò, detorquēdo Verbū illud DEI ad aliū, eiq; accommodando, cui secundū mentem Sacri Scriptoris non conueniebat. Psaltes enim Dauid in eo psalmo loquutus fuerat de hominibus meris, siue puris, vt loquūtur Scholastici, nō de Christo, qui erat Homo-DEUS; neq; habebat Angelū custodē, vt habēt ceteri homines, quoniā in Christo Humanitatis custos erat Diuinitas. At verò Patres alij, inter quos S. Ambros. (c) atque Remigius, (d) censent, abusū illius sententiæ haud fuisse q̄ Diabolus illā applicarit Christo, qui licet non haberet Angelum certum Custodem, habebat tamen omnes Angelicos Spiritus sibi obsequentes, suoq; seruitio, ac ministerio deputatos. Itaq; arbitrantur, propterea Diabolum fuisse abusum Verbo illo DEI, quoniam illud adhibuit detorquēdo, ad id, ad quod minimè debuisset: nempe, ad præcipationem sui, ad vanam & gloriam, ad ostentationem, ad tentandum, & contequenter,

(a) Crig. bom. 24. (Naz. orat. de S. Baptif. (c) In c. 4 Luc. (d) iis ps. 90

contemnendum DEUM. Promittit quidem eo loci DEUS Angelorum tutelam & custodiam hominibus iustis, sibi que caris, si ex virtutis præscripto operentur: ac proinde prudenter & pie agentibus, non temerarijs, præsumptuosis, & DEUM tentantibus, An non est tentare DEUM, sine ejus iussu, afflatu, impulsu, ex alto siue montis, siue ædificij, siue turris præcipitem se dare? Monuit istud sapienter S. Bernardus Sermonē XIV. in Psal. XC. *Qui habitat, sic scribens. Quid mandavit, dum mandavit, ut custodiant te in omnibus vijs tuis? nunquid in precipitijs? qualis via hæc è pinnaculo templi mittere se deorsum? non est via hæc, sed ruina: & si via, tua est, non illius.* Instat Diabolus: & Vectem suum magis promouet. perge Christe, quid cessas? in imum te conijce. quidquid moraris? eia age; aude aliquid, Te, tuoque dignum nomine. Fortasse etiam trusit Christum leniter pugno, aut fortiter cubito, cum dixit: *Angeli in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuam* Non habent quidem manus Angeli, licet eas cum corpore ex aëre formato adsumant, Manus ergo significant, per catachresin, opem, vim, ac ministerium Angelorum. Dicit itaque Dæmon: crede mihi, Christe, si te præcipitaueris, ita præsens senties Angelorum auxilium, ac si eorum manibus gestareris.

Hoc Vecte ex Verbo DEI per abusum formato Christum aggressus est Diabolus, sed illum à constantiâ non dimouit: nam contrario Vecte, tanquam cuneo cuneum repulit, Verbum DEI sanè intellectum adhibendo: *Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum DEUM tuum (a)* Tentatautem DEUM, qui petit ab eo miraculum non necessarium: quale est in precipitium se sponte dantem, manibus Angelorum sustineri velle. Si hac arte Diabolum repulisset Hero Eremicola nunquam tam turpiter

T s 7

eslet

(a) Deuter. vi, 16.

esset lapsus. ut enim scribit Cassianus, (a) cum impelleretur à Diabolo, ut quoniam sanctus habebatur, solum pane & aquâ victitans, ex alto se deiceret; suggerere autem, non esse dubitandum, virum talem à Deo Angelorum ministerio excipiendum: itaque præcipit se in puteum, ubi miserè perijt.

(a) Cassianus Collatione 2. cap. 4.

ARTICULUS III.

ABVSVS VERBI DEI.

NUNC attendite, & animaduertite, quàm multum Diabolum Architectum stultissimum imitentur in Abusu Verbi DEI, quod tanquam Vectem vsurpant, ut se aliosque in ruinam impellant, Cauete. nam Deo maximè displicet, illiusque indignationem prouocat.

ABVSVS Verbi DEI, qui est *Vectis* Diaboli, in eo vniuersè consistit, quod adhibeatur, & detorqueatur ad id, ad quod minimè deberet. Id contingere potest varijs modis, quibus accidit multos grauitè delinquere: aliquando cum quadam ignorantia, vtinam semper inculpabili, ideoque instruendi ac monendi sunt; aliquando ex malitia merâ, instigati à pessimo Architecto Diabolo.

§. I. **I**N primo ordine sunt, qui advocant Verba Sacræ-Scripturæ, quæ sunt DEI, per detorsionem, ingeniosam quidem fortasse illam, sed peruersam, ad nugas, iocos, facerías, ad ludicra, ad aliorum tarpendo, mores, ad exponendos quosdam ludibrios, ad excitandum

randum risum circumstantium, ad commonendum petulcum splenem audientium, aut legentium (a) componuntur centones, non Homerici, sed Sarraceni, concinnantur pasquilli, confinguntur libelli famosi, ex meris sententijs Scripturæ-Sacræ, quæ ad alium longè sensum, quàm quem habent in Diuinis paginis trahuntur, ac scurrilitati petulantis ingenij deseruiunt. Dicitur ex abrupto versiculus è Biblijs desumptus ad eliciendum semicatholici cachinum. In quo peccant aliquando grauius, quàm existimant, viri Docti, sed leuiculi; & adolescentes quidam ingeniosuli, vt sibi videntur, sed ridicularij & nugiuenduli. Quod peccatum, tanquam graue, contra religionem, ac DEO Diuinisque rebus debitam reuerentiam, execrantur Patres, Magistri Ecclesiæ, & nouissimè Concilium Oecumenicum Tridentinum, in quo Sapientissimorum totius orbis fuit confessus. Eius hoc est decretum sessione IV. de Canonicis Scripturis & vsu Sacrorum librorum. *Sacrosancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata temeritatem illam reprimere volens, quæ ad profana quæque couertuntur, & torquentur verba & sententiæ Sacra-Scripturæ: ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias, & diabolicas incantationes, diuinationes, sortes, Libellos etiam famosos, mandat, & precipit, ad tollendam huiusmodi irreuerentiam, & contemptum ne de cetero quisquam quomodolibet verba Scripturæ-Sacræ ad hæc & similia audeat vsurpare; vt omnes huius generis homines, temeratores ac violatores Verbi Dei, iuris & arbitrij pœnis per Episcopos coerceantur.*

Quæ grauissima prohibitio, satis declarat totius Synodi iudicio hunc abusum Verbi DEI esse peccatum mortale, constituens hominem temeratorem, ac violatorem

Verbi

(a) ad fabulosa, detractoria, superstitiosa, & eius generis alia

Verbi DEI. Hinc in formula examinis conscientiae, inter puncta est istud etiam: *An verba Sacra-Scriptura ad facer applicauerit?* Item. *An peccata sua Scriptura Sacra excusauerit.* Quare, nolite assuescere Academici Catholicæ Ecclesiæ, Mattis optimæ filij haud degeneres, ad rem tam seuerè prohibitam: nolite linguam ei accommodare, immò nec aures, sed potius alijs ira scurriliter loquentibus auditum cum indignatione auertite, aures occludite, expuite, horrorem ostendite, nullatenus ridere Superioribus affines sunt, qui abutuntur verbis ac ritibus Sacrosanctæ Missæ, ac ridiculè pronunciant, dum nugantur, *Dominus vobiscum: Ite missa est:* aliosque sacrificij tremendi uersiculos. Quod si ex contemptu fieret, ut ab hæreticis esset grauissimum mortale, Caue te.

§. II. IN secundo ordine abutentium Verbo DEI, tanquam *Veete diabolico*, sunt illi, qui vel ad peccatum committendum adhibent, vel ad excusandum peccatum commissum usurpant. Nihil est facilius, quam adducere sententiolam aliquam ex Codice sacro male explicatam, ac detorram ad incitandum iam præcipitè, ut crimen patret, aut, ut patratum excuset. In quo magistri fuerunt artificiosissimi sed à Cacodæmone edocti hæretici huius ac superioris æui, Lutherus, Calvinus, Zvvinglius, & illorum affeclæ. Qui quicquid fuerat, eatenus in Ecclesiâ Catholicâ firmum, stabile, immobile, aggressi fuerunt loco mouere hoc *Veete Abusus Verbi DEI*, quod interpretatione prauâ ac adulterinâ detorquentes adhibebant, tum ad peccandum liberè, tum ad excusandas excusationes in peccatis. Incredibile est, non credet posteritas, non credidisse ego, nisi ipsorum-met dictis scriptisque edoctus, quanto perè simplicitati populorū illuserint, & imposuerint, ut in Septentrione, in Germaniâ, Britanniâ, Galliâ, deinde que in Bohemiâ, Vngariâ,

Polo-

Poloniã mouerunt penè vniuersa, vt inuenterent, per Abulum Verbi DEI, tanquam per Vectem Tartareum interpretationibus confectis absurdis, ridiculis, puerilibus, ac scurrilibus confectum. Quo in genere tam sunt multa, tam varia, tam in omni criminum genere diuersa, vt nunquam finem inuenirem, si singula recentere aggrederer: quare paucula tantùm adferam ad cautelam, & hæresis detestationem.

ARTICULUS IV.

INITIO hæresis Lutheranæ perruptis, vt monasteriorum, ita pudicitia claustris, homines DEO per votiuam castitatem dicati, qui immobiles censeripotuerant, minimo impulsu, transferebatur ad seculum, seu vitam secularè profugiebant è Monasterijs. vestem religiosã abijciebant, abradebant tonsurã, procabatur vix egressi claustro: mox conuolabant ad nuptias: ducebant vxores Canonici, Vicarij, Monachi, quorum dux erat Lutherus. Mirabantur plebs, populus, nobiles repentinam illam mutationem, hætenus in Ecclesiã Christi nec visam, nec auditam: & quidem in ijs, qui se profitebantur esse Euangelicos, ac facere omnia secundum Verbum DEI, consentaneè ad Euangelium. Quo ruitis mei populares? quid agitis? quis dementauit? Non dementiæ hæc signa sunt; respondebant, sed sapientiæ Euangelicæ, quã docemur, homines etiam sanctos, quales nos accipere aliquando vocationem diuinam ad Nuptias. Ad Nuptias-ne viros voto castitatis adstrictos DEO? Clericos, Sacerdotes, Monachos? ad nuptias-ne cœlibatum vsque ad mortem professos? Ita, ad nuptias. Nonne scriptum est. *Vocatus est IESUS & discipuli ad nuptias?* Ioannis secundo. Nonne scriptum est? *Ite ad exitus viarum. & quoscumq; inuenietis vocate ad nuptias.* Matt. xxii. Nonne scriptum

Quinta Pars.

V u

est

est, *Crescite, & multiplicamini, & replete terram?* Genesis primo. DEUS æternæ? quantus est iste Verbi DEI abusus? quantus in abutentibus vel stupor, vel scurrilitas? Fuêrunt Germani omnes pecudes sine intellectu, vt talibus aures darent, & fidem haberent? Nam credebant, sequebantur, conuolabant ad Nuptias: post Carolo stadium, Lutherum, similes, omnis generis Ecclesiastici: cucuabatur Monasteria hoc Vecte diabolico.

EODEM abrogabantur Ieiunia, pœnitentiæ functiones, pietatis opera; & impellebantur Christiani ad crimina quælibet, Ieiunium Quadragesimale aiebant esse contra libertatem Spiritus Christiani. Quare? scriptum est, *Permanere in carne necessarium est.* ad Philippenses primo. Qui ieiunant, inquietant, sicut olim Anchoretæ, Paulus, Antonius, Hilarion, non comedendo, nisi panis siccum, faciunt contra legem DEI. Quare? scriptum est: *Non in solo pane viuit homo,* Matth. iv. nimirum, adiungendi sunt ad panem pulli, gallinæ, perdices, ficedulæ, Nudipedes Religiosos, & ieiunantes Monachos suadebant eijciendos è regnis & Imperio, quasi facientes contra Verbum DEI. Quare? scriptum est: *Prohibe pedem tuum à nuditate, & guttur tuum a siti.* Ieremiæ secundo. O Domine! *quando Te vidimus nudum?* Matth. xxv. Auspicabatur nouum suum Euangeliû, & illius prædicatione à melle & poculis. Potantibus nobis cereuisiâ Wittenbergi creuit Euangeliû, scribit Luther in Colloquijs mensalibus. Quare? Scriptum est: *Ficus & vinea dederunt virtutem.* Ioëlis secundo, Item, scriptum est: *Oportet hoc primum fieri, sed nondum statim finis.* Luc. xxi.

Vix promulgato Quinto Euangelio, fugitiui Fratres in Germania, Gallia, Belgio, abiecta veste

(a) *Legendus Sandeus, in Hydro Hollandico, in Castigatione Coniunctura Iesuitica, in Synodo Dordrechtâ nâ.*

superiori monachali, cōparebāt in publico breuibus induiti, sine togâ, sine linea tunicâ, caligis, & thōrace visendi Quare? scriptū est: *Præcepit eisne induerentur duabus tunicis.* Marc. xvi. Item scriptū est, vt Petro in carcere mandatū *Præcingere caligas tuas & veni.* Actū xii. Destruiebant Luthera ni. & magis Caluin. stæ sepulchra & monumenta Sanctorum. Quare? scriptum est: *Va vobis, qui edificatis monumenta Prophetarum.* Luc. xi. Item, Scriptum est, *Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi.* Ecclesiast. tertio.

Si monebantur, & post vnam alteram-ue commotionem vrgebantur ad restitutionem rei alienæ depositæ; respondebatur audacter: Nonne scriptum est, *O Timothee! depositum custodi?* primæ ad Timotheum sexto. Si fornicationes, adulteria, & plura alia peccata grauissima commissâ essent, audiebatur ad faciendum fucum populo, & animandum ad eadem patranda: scriptum est, *Nihil damnationis est in ijs, qui sunt in Christo,* ad Romanos viii. Ferunt, cū ex numero Ministrorum Verbi quidam nescio cuius pallium, domino ablatum circumferret, nec redderet, responsum fuisse: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi,* ad Galatas sexto. Cū caro pugnet contra spiritum, & multo magis Diabolus contra iustos, Quærentibus, quare consentirent carni suæ? cur non dimicarent contra tentationes? cur non se opponerent Diabolo? Responsum erat in promptu: Scriptum est, *Ego dico vobis, non resistere malo,* Matth. v. Iterum, *Esto consentiens aduersario tuo in via.* Item, *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* Matth. v. Abolebant Confessionem auricularem, in quâ peccata sponte se accusantis Sacerdoti manifestantur. Quare? Scriptum est, *Melius est nomen bonum, quam diuitia multa.* Prouerbiorum xiii. Scriptum est: *Qui custodit os suum, custodit animam suam,* eodem capite, Plura omitto.

QVIS autem esse debet fructus huius Sermonis? pro-

fectò, non risus propter absurditatem, stupiditatem
 scurrilitatem hæreticorum commiseratione pro
 quendam & lachrymis. Sed imprimis, vt caueatis quatenus
 diligentissime à Verbi DEI abusu: nunquam illud adhi
 deatis ad vana, ridicula, iocosa: nunquam illud scurrili
 ter exponatis: nunquam illud adducatis, ad excusandas
 excusationes in peccatis. Deinde, vt Deo gratias agatis
 gaudeatis vobisque gratulemini, quod nati sitis, viuatis,
 velitis, mori exoptetis in Ecclesiâ Catholicâ, Romanâ,
 Pontificiâ, Papali, vnde dicimur glorioso titulo PATER
 TÆ, ringantur sectarij. In qua Ecclesiâ *Abusus* omnis Ver
 bi DEI, tanquam *Vectus Diabolicus*, grauissimè prohibetur. *Verus*
 illius ac legitimus vsus docetur, & viget, vt errare
 nõ possitis, modò illam, quæ errare non potest, audiat
 & in illam maneat, viuatis, & ad finem vsq; vitæ perseueret
 tis; in qua sola est salus, vita, & ad felicem æternitatem
 resurrectio, quam omnibus vobis opto, voueo, precor.
 In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti. AMEN.

*Legatur Sandæus in Opusculo Mundus fallax, Commentatio
 VII. in qua exponuntur Vectes Diabolici LXXVII. & exemplis declar
 rantur. Item eiusdem Grammaticus profanus COMMENTATIO
 NE XVII.*



S E R M O X V I .

T R U L L A

ARCHITECTI CHRISTIANI.

IN Supellectile Architecti est Trulla, prout significat
 Instrumentum, quo Edificatores, aut fabri murum
 lapides in fabrica componunt, ac calcem è vase hauri
 unt, & muro injiciunt, illumq; illinunt, vt non solum
 murus pulchritudinem accipiat, sed etiam firmitatem contra tem
 pestates

pestates, & imbrium iniuriam Hinc apud Vitruvium trullissare legitur. pro Trulla gypsum inducere, lib. VII. cap. 3. Coronis, inquit, explicaris, parietes quàm asperrimè trullissentur: postea autem supra trullificatione subarescente deformentur directiones arenati.

ARTICULUS I.

TRULLA

Protectio Diuina.

DEO t se aliquando videndum DEUS, quasi Cæmentarium cum Trullâ in manu, quâ Murum Israëlis oblinere & incrustare erat solitus. Ita illum vidit Amos Propheta, qui capite secundo: *Ecce Dominus stans super murum litum, & in manu eius Trulla cæmentarij. Et dixit Dominus uad me: Quid tu vides Amos? & dixi, Trullam Cæmentarij.* Murus litus significabat pulchritudinem fortitudinemque Israëlis, dum à DEO oblinebatur & incrustabatur, hoc est, tegebatur, roborabatur, ac protegebatur; & tam diu stetit integer atque inconcussus contra ventorum imbriumque iniurias, nempe, hostium molitiones, contraque tempestatum omnium impetus. Nimirum, Dominus super illum, vel propè, aut iuxta illum, vt Lucæ IV. *Stans super illam, imperauit febr;* habebat curam ne læderetur sicut Cæmentarius cum Trullâ astans parieti, cauet ne pluuia calcem deijciat, aut si id factum, restaurat subitò. Addit Dominus apud Prophetam. *Ecce ego ponam Trullam in medio populi mei Israël; non adijciam vltra superinducere eum. Et demolientur excelsa Idoli, & sanctificationes Israël desolabuntur: & consurgam super domum Ieroboam in gladio. Sensus est planissimus (a) Ego idem indignatus ob scelera*

V u 3 popu-

(a) Ex S. Hierony. Rimigio, Haymone, Hugano, Lyrano, Ribera, Ferdinando in Visiob. cap. 32. Cornel.

populi tanta curâ à me hactenus protecti, atque ornati deponam *Trullam defensionis* in medio eius, eumq; deforam: non linam amplius, non super inducam lutum, non cooperiam calce. Sic Cemenrarius cum ab opere desistit, ponere solet *Trullam*, & abit.

IAM ad spiritualement Architecturam conuertamur. Iustitia illa, quæ in se virtutes omnes continet, seu virtutum collectio est Murus in Sapientia Alumno, à summo rerum omnium Artifice erectus, & animam cingens, vt illam à peccatis, vt bestijs irruentibus tueatur, & eum potissimū arceat, qui, quasi leo rugiens, circuit, quæres quem deuoret. Hunc murum ædificari postulabat simpliciter Propheta: *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur Muri tui Ierusalem*, P sal. L. Sciebat enim Rex Sapientissimus, simulque bellicosissimus, urbem, arcem, castrum, sine muro non posse defendi. Ædificat autem hunc Murum DEUS, vt Architectus primarius, nos verò cum DEO, vt secundarij, & illius adiuuæ (DEI enim cooperatores sumus) sed inuidentibus hostibus nostris, & dolore ac rancore tabescēribus, nec nō modis omnibus ædificationem impediētibus aut saltem remorantibus. Experti id sunt Iudæi, de quibus Nehemia *iv. Audierunt autē hostes Iudæ & Benjamin, quia filij captiuitatis ædificarent templum Domino DEO Israël: Nunc igitur notum sit Regi, quia si Ciuitas illa ædificata fuerit, & muri eius instaurati, tributum & vectigal, & annuo reditus non dabunt & vsque ad Reges hæc noxa perueniet.* Inde conspiratione factâ, quod potuerunt, conati sunt, vt murorum instauratoribus molestiam crearent, & ab ædificatione auerterent.

VERBUM ENIM VERO, non est satis, Murum existisse, nec sat est iustitiam ab Architecto Principe in Animâ iusti semel fuisse erectam, nisi ab eodem *Trulla protectionis peculiaris* liniatur, & gypso fortitudinis obducatur,

carur, aduersus adulantium, minitantium, retrahentium
 à virtutum cultu, veluti contra imbrium & ventorum
 violentiam. Audire hic iam videor Magistrum cœlestē,
 tanquam Architectum auditoribus suis inculcantem:
*Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro
 sapienti, qui adificauit domum suam supra petram.* (per Petram
 intellige Christum Salvatorem, eiusque vitam, mortē,
 merita, quibus innitendum, non suis operibus) & descē-
 dit pluuia & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt
 in domum illam, & non cecidit, Matth, vii.

PORRO, liniri à DEO Murum, est, eius auxilio iugi-
 ter protegi aduersus contrariarum potestatum continu-
 os imperus, quos ne iustus quidē auertere, aut sine noxa
 posset, nisi eius ope qui potens est eum, qui stat, statue-
 re, vt perseueranter cōsistat: atq; eius fauores peculiari,
 qui vt cœpit bonum opus in nobis, ita perficiat necesse
 est. Tunc autē censetur Auxiliator noster Dominus *Trul-*
lam ponere, cū à p̄tectione singulari & auxiliorū gratijs
 particularibus manum retrahit. & q̄ maximè metuen-
 dum, animā deserit, ac derelinquit: hoc enim ipso hosti-
 bus tradit eam, quæ sine DEI auxilio ijs resistere nequit,
 Atque hoc manifestum est signum iræ Diuinæ penè im-
 placabilis.

Ex his liquet, si DEUM velut Architectum, aut Cœ-
 mentarium cum *Trulla* in manu consideremus, calcem
 & gypsum quibus anima, eiusque potentia, ac habitus
 virtutesq; abducuntur ad elegantiam & firmitatem esse
 Diuinam *Gratiam*, aliaque à DEO liberaliter humanis
 montibus infusa carismata, *Trullam* verò, tum DEI be-
 neplacitum ac liberalitatem, perquam velut instrumē-
 tum quoddam fit gratuita donatio; tum assidua Opifi-
 cis & Architecti nostri *Protectio*.

ARTICULUS II.

TRULLA

Sacramentum Legis Nouæ.

SI hominem, tanquam Architectum contemplemur, **D**omum Sapientiæ in Animâ extruentem, rectè dicemus, *Trullam esse Sacramentum* quodlibet, in quo, velut in architectonicæ eius generis instrumento, continetur Diuinæ Gratiæ calx, quâ parietes Domus illius, & ad pulchritudinem & firmitatem illinuntur. Porro, ut paries semel litus facilè crustâ suam amittit, nisi iterato liniatur: & si primum tectorium decidat, necessariû est est rursus *Trullam* adinouere; ita facilè præcedens Gratiâ deperditur, nisi Sacramentorum frequentatione iterum, iterumq; Gratiæ calx obducatur. Quod si fiat, nullis tempestatum lædi poterit iniuriis, nullisq; deteri tentationum, velut imbrum decidentium incurfibus.

CAUENDVM autem maximè Architecto Morali, ne sit exijs, de quibus Ezechielis XIII. *Dic ad eos, qui liniunt absq; temperatura. quod casurus sit: erit enim imber mundans, & dabo lapides prægrandes desuper irruentes & ventum procellæ dissipantem. Siquidem, ecce cecidit paries: nunquid non dicitur vobis, ubi est litura, quam liniistis? Absq; temperamento dicuntur linire Cœmentarij, qui vel absq; paleis, quibus temperatur, aut miscetur argilla, siue cœmentum, vel absque moderatione adhibendo plus, aut minus. Aquila vertit, sine Sale: quia, ut caro sine sale, siue insulsa, non est solida, & firma, sic neq; lutû sine paleis: immò, nisi calx salis & prælegminibus coniorum misceatur ac rectè misceatur tēperetur, q̄ docet Vitruuius lib. VII. cap. 2. & 3. ad deal-*

batio-

bationem non est idonea. Optimum documentum pro Architecto Domus Sapientiæ, vt cum temperaturâ omnia agat, in vsu sacrorum, in exercitatione virtutum, in vsurpatione Sacramentorum: temper sal discretiois interueniat in omni litura: nihil insulsum faciat, dicat, cogitet, nisi ædificium, velut domum tempestatibus expositam, velit per imbrem, grandinem; ventos, pcellas occasionum, tentationumque obrui, penitusque euerri. quod absit.

DISSERVI haftenus de Instrumentis Artis Architectonicæ Christianæ, id est, benè viuendi, quæ est Ars artium, Scientiæ scientiarum; & vsum ostendi, Regulæ, Perpendiculari, Normæ Libellæ, & tot aliorum ad Trullam vsque. Quod si toto & huius anni, & vitæ vestræ tempore, nihil faciatis, dicatis, cogiteris, nisi diligenter examinatum ad legem æternam, naturalem, diuinam, humanam quæ sunt Regulæ nostrarum actionum; nisi probatum Exemplo Christi, quod est Perpendicularum virtutum; nisi conforme exemplis Sanctorum, quæ sunt Norma nostrorû Officiorû; deniq; nisi ad Libellam discretionis & prudentiæ exasciatû, Calce Sapientiæ à Trullâ Diuinæ Gratiæ obductum, nihil in vobis desiderabitur ad huius vitæ felicitatem, quæ consistit in virtutum cultu, & est lemen beatitudinis vitæ alterius, quæ sita est in Visione, Amore, ac Fruitione DEI Vnius & Trini, cui hoc anni initio, ac deinde frequentissimè grati lætiq; accinamus,

Gloria Patri & Filio, & Spiritui-Sancto. Amen.